# EX HISTORIA ECCLESIASTICA P. NATALIS ALEXANDRI DOCTORIS...

Noël Alexandre, Josè Maria Fonseca de Evora



EX

# HISTORIA

## ECCLESIASTICA

## P. NATALIS ALEXANDRI

DOCTORIS PARISIENSIS


SELECTÆ

# DISSERTATIONES

DE

# SCHISMATE

## GRÆCORUM.






*VIENNÆ,*

Typis JOSEPHI GEROLD, Cæſ. Imp. Aul. Typogr. & Univerſitatis Bibliopolæ.

1780.

HONORIBUS

# MARIÆ THERESIÆ

HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SERVIÆ, RASCIÆ, GALLICIÆ, LODOMERIÆ, CUMANIÆ, BULGARIÆ, SCLAVONIÆQUE

# REGINÆ,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

DUCI

BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, MEDIOLANI, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, LUXENBURGI, WÜRTEMBERGÆ, UTRIUSQUE SILESIÆ,

MAGNÆ PRINCIPI

SUEVIÆ, ET TRANSYLVANIÆ,

MARCHIONI

S. R. I.

BURGOVIÆ, MORAVIÆ, UTRIUSQUE LUSATIÆ,

COMITI

HABSPURGIÆ, FLANDRIÆ, TYROLIS, FERRETIS, KYBURGI, GORITIÆ,

DOMINÆ

MARCHIÆ SLAVONICÆ, ET PORTUS NAONIS, *cetera*

DOMINÆ, DOMINÆ

CLEMENTISSIMÆ

DICATÆ

DUM
SUB EJUS SACRATISSIMIS
AUSPICIIS

# POSITIONES

SELECTAS
EX
UNIVERSIS DISCIPLINIS
THEOLOGICIS
IN
PALATIO ACADEMICO
MAJORI
PRO
LAUREA DOCTORALI
CONSEQUENDA
PUBLICE PROPUGNANDAS
SUSCIPERET
REVERENDUS, EXCELLENS, AC DOCTISSIMUS DOMINUS
MICHAEL SCSAVNICZKY,
HUNGARUS DIOECESIS MUNKACSIENSIS
AC
SEMINARII
AD S. BARBARAM
GRÆCO-CATHOLICI
ALUMNUS.
*Die Septembris.*
MDCCLXXX.

AUGUSTISSIMA

# IMPERATRIX,

## REGINA,

DOMINA, DOMINA

CLEMENTISSIMA!

Constans TUUM, IMPERATRIX AUGUSTISSIMA! in Religionem Catholicam ſtudium, miraque in rem litterariam altius ſemper, ſemper ſublimius provehendam liberalitas, & linguæ, & calami vincit officium; utpote a quam plurimis juſte celebrata, a nemine hactenus deprædicata ſatis. Cernimus utrumque hoc in toto, qua late patet, Imperio TUO, altiſſima devotione in Græco-Catholica Natione ſacris Ditionibus TUIS ſubjecta utrumque veneramur.

Auguſtæ ſane TUÆ in Deum pietatis, & amplificandæ Religionis Catholicæ ſtudii immortale teſtimonium eſt: quod ad continendos firmius in gremio ſanctæ Matris Eccleſiæ, & in fundamentis fidei, ac pietatis Chriſtianæ Græco-Catholicos Subditos TUOS ſolidius imbuendos plurium Epiſcoporum per Provincias TUAS plaudente Clero, & populo fideli Cathedras tam novas Regiis profecto impenſis fundaveris; quam collapſas longe ſupra priſtinum vigorem ſuum reſtauraveris: Quod neceſſaria Præ-

ſuli-

ſulibus Capitula totidem opportuniſſima cultus divini, ac politiæ Eccleſiaſticæ adjutoria jam recentia adjungere continues, jam antiqua quidem, ſed neglectu miſeræ hujus Nationis prorſus obſoleta ad ſolatioſum ea beneficentia revoces ſtatum; ut non veterata ſublimaſſe; ſed diverſa erexiſſe merito celebreris: quod privata pro Clero Seminaria, quorum ope Eccleſiaſticus ordo in priſtinam dignitatem, priſtinumque ſplendorem reſtituatur, cura ſolertiſſima inſtituas: quod denique omnibus ſumptus congruos ſumma liberalitate

* 4 ſup-

ſuppedites. Hæc de TE, PRINCEPS CLEMENTISSIMA Fogaraſinum, eadem Munkacsinum, paria Magno-Varadinum, ſimilia Criſium, nec diverſa Gallicia, ac Lodomeria grata deprædicant mente, jucunda recolunt memoria; omnes enim cernunt conſtructas ad omnem elegantiam plurimas, ornatiſſimasque ſacras Ædes, ut nulla fere Græcos Ritus ſequens Natio, nullus tam obſcurus, remotusque Ditionum TUARUM ſit locus, quem ſuis Auguſta pietas TUA non colluſtraſſet radiis. Pretioſis quam plures Eccleſias con-

condecoraſti ornamentis; ſplendidos paſſim ſacra operantibus contuliſti apparatus; ubivis denique felicia gloriæ Eccleſiaſticæ tempora quaſi poſtliminio reduxiſti. Jam ſi multum Glorioſis Regibus Hungariæ, primisque Erectoribus ſuis debuit Natio Græcis addicta Ritibus ob horum fundamenta in denſa admodum umbra, idque aliqua tantum ex parte ſubtiliſſime delineata; ſi multum Auguſtis Majoribus TUIS ob factos in proſpere cæptis licet lentiſſimos progreſſus; plurimum ſane devincta eſt TIBI PRINCEPS BENIGNIS-

SIMA ob plenitudinem TUORUM in ſe beneficiorum. Miratur hodie Clerus ille nova cernens Capitula piiſſima largitate TUA erecta, clementiſſima munificentia locupletata, exultat videns Seminaria aptorum olim gregis animarum Paſtorum domicilia, & ut pia recordatione ſuam nunc felicitatem celebrat; ita attonito animo in juvanda inde tota poſteritate Auguſtam TUAM providentiam ſtupet. Sed nec intra ampliſſimos tantum Imperii TUI limites, neque in proſpero ſolum Civium TUORUM ſtatu TUA illis opem fert pie-

pietas; altius his ſubvolat, & in afflictiſſima etiam eorum conditione præſens illis ſuppeditat auxilium. Dum namque poſtremi belli Polonici tempore complures Græco-Catholici Presbyteri ſacræ Unionis cauſa apud exteras Nationes in carceres incidiſſent: omnium illi ope fruſtra implorata unice apud Clementiam TUAM deſolatæ ſorti ſuæ aſylum reperiunt: Adfuiſti extemplo MATER DEVOTISSIMA, neque ære ſolum TUO fortes Fidei orthodoxæ zelatores ſublevaſti: ſed etiam potenti brachio TUO liberationem eorum

acce-

accelerasti. Quis jam haec contemplans non fateatur vere elevatum esse Augustissimum Nomen TUUM super multas gentes, TEque firmissimum Religionis Catholicæ esse præsidium non recognoscat?

Porro, cum pietati alendæ, ac Civium felicitati procurandæ plurimum inserviant scientiæ: has quoque comparandi Clero Græco media suppeditas opportuna. Hac enim in parte gloriosi Imperii TUI educandæ juventuti statuisti domicilia, in quibus tenera ætas, quæ

Chri-

Christianum, quæ Civem decent officia ab adolescentia informabitur; in alia litterarios introduxisti ludos, ut in illis ipsa etiam plebs rudis morum regulam, Fidei discat rudimenta; scholas publicas aperuisti, quarum subsidio Cleri disciplina temporis injuria turbata ad præscriptam Canonibus redeat normam: quid, quod in ipsa Imperii TUI, ac scientiarum omnium Metropoli Generale Græco-Catholicum erexeris Collegium, in quo variarum Provinciarum juvenibus præsto sunt expedita sese in omnibus scientiarum disciplinis

plinis

plinis excolendi media, adeſt in virtutibus proficiendi opportunitas, præbetur linguas extraneas condiſcendi facultas; quæ omnia cum vel expectationem noſtram longiſſime ſuperent: & nos Gratiam TUAM longe, lateque dilatare non deſiſtemus in eo: quod certe poſt Dei præſidium, ſicut muro inexpugnabili TUA firmiſſima protegamur tutela.

His quoque immortalibus facinoribus TUIS, quibus velut ſidus in Orbe refulges, nixus ego: nil vereor pedibus

TUIS


TUIS advolvi, TEque ſupplex precari: veniam ut facias, & præſentes ſelectas ex univerſis Diſciplinis Theologicis Poſitiones SACRATISSIMO Nomini TUO, cujus immortalitate victuræ ſunt, dedicari admittas. Suſcipe exiles hos laborum meorum fructus, quia cum maxima ſui parte in fundatione TUA creverint, proprio impetu ad Sinum TUUM convolant! non aſpernare Auguſtiſſima DOMINA exilia quamvis hæc conatus mei ſpecimina, perennaturæ tamen Devotionis teſtificationem, quam dum SACRATIS-

SIMO

SIMO THRONO TUO demisse offero: me simul ad omnem posthac vitam Augustæ Majestati TUÆ consecrandam devincio

AUGUSTISSIMÆ
MAJESTATIS TUÆ

*Subditorum infimus*
MICHAEL SCSAVNICZKY,
Collegii Græco-Catholici
Alumnus.



# POSITIONES
## SELECTÆ
## EX UNIVERSIS DISCIPLINIS THEOLOGICIS.

I.

Est hominibus omnino necessaria Divina revelatio, ut animis conquiescant, atque sciant, quo & externo Deum cultu prosequantur; & peccatis offensum, qua ratione possint placare.

II.

Divinam revelationem extare in Pentateucho complura, quae in illo narrantur, ostendunt miracula.

III.

Evangelistæ in iis rebus, quas de vita, & actionibus Jesu Christi scriptis consignarunt, testes sunt partim primi, partim secundi ordinis, iidemque spectatis omnibus fide dignissimi.

IV.

Igitur admittatur necesse est Jesu Christi doctrinam divinitus revelatam esse, quum in ejus confirmationem tot patrata sint miracula: & in his maxime insigne resurrectionis miraculum, quo tanquam sigillo omnis ejus doctrina corroborata est.

V.

Quæ vero de Apollonii Thianæi prodigiis scripsit Philostratus, cum Jesu Christi miraculis in comparationem venire nequaquam possunt.

VI.

Ad recte investigandum genuinum revelationis in Veteri Instrumento sensum præsto sunt adminicula Hermeneuticæ sacræ; & externa quidem (de quibus solum in præsenti) adminicula sunt, linguæ Hebrææ, aliarumque dialectorum Hebræo idiomati cognatarum notitia: veterum versionum, ac interpretum sensus; denique vocum etymologia, contextus, parallelismus locorum biblicorum.

VII.



## VII.

Neque ab hisce Hermeneuticæ ſacræ adminiculis deterrere nos debet Concilii Tridentini auctoritas, qua decretum eſt, vulgatam verſionem authenticam eſſe. Profecto enim id eo decreto indicare Tridentini Patres voluerunt: Vulgatam Verſionem latinarum verſionum antiquiſſimam, ac fideliſſimam, in rebus fidei, ac morum puram eſſe, & incontaminatam; minime vero illam aut Hebræo fonti, aut omnibus vetuſtiſſimis verſionibus aliis eſſe præferendam.

## VIII.

Ad Græcum idioma, qui novum Teſtamentum nativo ſuo ſenſu velit intelligere, recurrat oportet. Quocirca interpretem latere non debent proprietates, vires, ac ſignificationes *nominum*, *pronominum*, *Verborum*, & *participiorum*, *præpoſitionum*, *adverbiorum*, ac *conjunctionum*.

## IX.

Ad apparentes vero antilogias ſacrarum Literarum conciliandas diſtinguere oportet voces ambigui ſignificatus. Hinc diſcrimen facimus inter juſtificationem *externam*, & *internam*: inter internam *primam*, & *ſecundam*: inter *opera fidei*, & *legis*: inter *opera gratiæ*, ac *juſtitiæ*: inter *gratiam vocationis*, & *ſanctificationis*: inter *peccatum*, & *peccatum*: *legem*, & *legem*: inter *libertatem Evangelicam genuinam*, ac *libertatem ſpuriam Pſeudo-Evangelicorum*. Pariter, quæ de Chriſto in N. T. enunciantur, accurate perpendenda ſunt; ne, quæ *οἰκονομικῶς*, juxta humanitatis diſpenſationem de Filio Dei dicuntur, *θεολογικῶς*, juxta Divinæ ſcilicet

)( 2 pro-

proprietatem naturæ interpretemur; & viciſſim, quæ de Filio Dei *θεολογικῶς*, ſeu proprie dicuntur; *οἰκονομικῶς*, ad humanam naturam transferamus. *Πνεύματος*, ſeu *Spiritus* quoque vocabulum, ubi ſine additamento ponitur, de Spiritu S. ſæpiſſime, & in bonam partem intelligitur: malus autem Spiritus ferme ſemper cum additamento ponitur.

## X.

Quoniam vero adhibitis licet interpretandi adminiculis, ſacræ tamen Literæ non ubique tam claræ ſunt, & apertæ, quin in pluribus fidei, morumque capitibus ab aliis alio trahantur, atque obſcurentur: oportet eſſe divinitus conſtitutum legitimum controverſiarum judicem, cui in Religionis negotio ſit obtemperandum. Hic judex eſt Chriſti Eccleſia, in credendo, ac definiendo infallibilis.

## XI.

Qui Simonem Magum precibus S. Petri proſtratum eſſe veteres commemorant: his adverſantur ii antiqui Eccleſiaſtici Scriptores, qui eidem Simoni tanquam Deo ſtatuam Romæ & locatam eſſe, & locatam diu ſtetiſſe, literis prodiderunt. In hac illorum diſſenſione, quid verum ſit, definiri non poteſt.

## XII.

Divus Petrus & Romæ fuit, & Epiſcopatum Romanum tenuit.

XIII.



## XIII.

Historici, dum illam controversiam, quæ secundo sæculo Asiaticos inter, & occidentales intercessit, ita describunt: ac si unice disputatum fuerit de die memoriæ resurgentis Jesu peculiariter consecrando, falluntur certe; fortasse decepti, quia vocabulum *Pascha* usu loquendi recentiore metiuntur. Princeps controversia fuit, an paschale epulum eodem cum Judæis tempore, ac ritu sumendum sit.

## XIV.

Hæc paschalis controversia etsi definita est in Concilio Nicæno primo, Hæreticorum tamen gregi accensendi non sunt Scoti, ac Britones, qui a sæculo sexto usque ad octavum Asiaticorum hac in re morem secuti sunt.

## XV.

Sæculo secundo antepaschale jejunium apud alias Ecclesias erat brevius, longius apud alias.

## XVI.

Zephirinus Pontifex a Montani erroribus fuit alienus.

## XVII.

Stephanus I. Romanus Pontifex decernendo: *Si quis a quacunque hæresi venerit ad vos.* — — in errorem

)( 3 lapsus



lapſus non eſt; neque enim ullum extat hiſtoricum monumentum, quo doceamur tum temporis hæreticos quosdam baptismi formam temeraſſe; neque Cyprianus, & Firmilianus acerrimi licet Stephani adverſarii, tales hæreticos extitiſſe contendunt.

## XVIII.

Ex certamine Aſiaticorum cum Victore Papa, & Cypriani, Firmiliani, aliorumque cum Stephano I. perſpicuum eſt: illis perſuaſum fuiſſe, Romanum Pontificem neque falli eſſe neſcium: neque præditum poteſtate, aliis Eccleſiis invitis leges *novas*, earum veteri diſciplinæ contrarias præſcribendi.

## XIX.

Africani quidam Antiſtites ante Beatum Cyprianum Mœchis imminente licet morte abſolutionem ſacramentalem impertiendam non eſſe decreverunt.

## XX.

Tribus primis Eccleſiæ ſæculis Epiſcopis, aliisque Clericis non erat uſitatum peculiare veſtium genus, quo ab aliis ſeſe diſtinguerent.

## XXI.

Dodwelli conjecturis de paucitate Martyrum ſub Imperatoribus æthnicis, vetuſtatis monumenta fide digna contradicunt.

XXII.



## XXII.

Jesu Christi divinitati, & consubstantialitati cum Patre minime adversantur Ante-Nicæni Patres, *Justinus Martyr*, *Athenagoras*, *Theophilus Antiochenus Irenæus*, *Clemens Alexandrinus*, *Tertullianus*.

## XXIII.

Marcellini Papæ lapsus, & propter lapsum celebratum Sinuessanum Concilium ficta sunt.

## XXIV.

Principi Civili fas esse recognoscere res Ecclesiasticas in quæstione facti, locumque habere appellationem ab abusu, docent exempla S. Athanasii, & Donatistarum.

## XXV.

Epistolæ Romanorum Pontificum usque ad Siricium Papam subdititiæ sunt.

## XXVI.

Concilia generalia Nicænum I. Constantinopolitanum I., & Ephesinum Imperatorem auctoritate, sine prævio Romanorum Pontificum consensu convocata sunt.



## XXVII.

Patres Concilii Nicæni I. Oecumenici constituendo Filium Patri ὁμοούσιον esse, decretum suum ita explicarunt, ut nullam in voce ambiguitatem reliquerint.

## XXVIII.

Et Constantinianæ donationis instrumentum, & ipsa donatio ficta sunt.

## XXIX.

In Concilio Sardicensi Canone 3tio, 4to, & 5to Romano Pontifici nihil aliud concessum est, quam jus revisionis, an causa iterum tractanda sit in Concilio provinciali, adscitis aliis finitimis Episcopis: &, si forte adversus judicium talis Synodi apud Romanum Pontificem denuo quereretur Antistes, cujus causa agebatur, decernendi aliam ejusmodi Synodum celebrandam esse, ad eamque mittendi legatos a latere.

## XXX.

Qui vero appellationes Romanas tuentur, nullum præsidium habent ante Concilium Sardicense in Marcione, Martiali, & Basilide, S. Athanasio; & post hoc Concilium in Apiario, Chrysostomo, & Celidonio.

XXXI.



## XXXI.

De lapſu Liberii Pontificis teſtis prodit D. Hieronymus exceptione major, cum in illo non obſcuræ inveniantur notæ, quas in eo ineſſe oportet, qui rem & probe ſciat, & vere dicat.

## XXXII.

Ariminenſis Concilii Patres non quidem immunes erant ab omni prorſus culpa; at certe a culpa hæreſeos.

## XXXIII.

Nectarius Conſtantinopolitanus munus pænitentiarii publici unice ſuſtulit.

## XXXIV.

Zoſimus Pontifex Cæleſtii ad ſe confugientis voluntatem emendationis, non dogmatis pravitatem approbavit.

## XXXV.

Caſſianus Semipelagianorum erroribus fuit imbutus.

## XXXVI.

Temporibus Sancti Auguſtini, Proſperi, ac Hilarii nulla exſtitit ſecta Prædeſtinatianorum.



## XXXVII.

Gotteſchalci de prædeſtinatione dogmata fuerunt omnino Catholica.

## XXXVIII.

Tametſi Neſtorius unum Chriſtum, unumque Filium diſſertis verbis profeſſus eſt, eum tamen a recta fide alienum fuiſſe oſtendunt ſimilitudines, quas ſententiæ ſuæ explicandæ gratia adhibuit, & maxime, quia agnoſcere nunquam voluit, in Perſona Verbi naturam Chriſti humanam ſubſiſtere.

## XXXIX.

Joannes Antiochenus Neſtorii amicus, hujus tamen amici erroribus ſuffragatus non eſt.

## XL.

S. Cyrilli anathematiſmi duodecim interdum licet ſubobſcuri videantur, ſic poſtea in ejus Apologiis ſunt explanati, ut cum dogmate Catholico optime conſentiant.

## XLI.

Monachos Scythas ab hæreſi Eutychiana ſua ipſorummet ſcripta luculenter defendunt.

XLII.



## LXII.

Henoticon Leonis Imperatoris, & Acacius Constantinopolitanus hæretico errore caruerunt.

## XLIII.

Honorii I. Romani Pontificis duæ ad Sergium Epistolæ a Monothelitarum errore alienæ sunt.

## XLIV.

Extra dubium tamen est: Honorium I. in Concilio VI. generali una cum Monothelitis damnatum fuisse.

## XLV.

Synodus V. tria capitula damnando Concilii Chalcedonensis auctoritatem haudquaquam labefactavit.

## XLVI.

Nec Zacharias, nec Stephanus III. Romanus Pontifex Francorum Regnum a Childerico ad Pippinum majorem domus transtulit.

## XLVII.

Imperatoria dignitas Carolo M. a Leone III. Pontifice impertita non est.

XLVIII.



## XLVIII.

Concilium Nicænum II. inter, & Francofordiense quantum ad ipsum dogma nulla dissensio reperitur.

## XLIX.

Inter Leonem IV., & Benedictum III. fæminam, quæ Joanna Papissa dici consuevit, ad Romanæ Ecclesiæ gubernacula sedisse, pura fabula est.

## L.

Gregorius VII. Summus Pontifex inter Pontifices primus Principum exauctorandorum sibi potestatem sumpsit, at argumentis quidem in Epistola ad Herimanum omnino infirmis.

## LI.

Clerum Leodiensem in fide Henrici IV. Imperatoris permanentem a Schismate remotum fuisse perspicuum facit & ejus Apologia, & tota agendi ratio.

## LII.

Etiam Græci Patres Spiritus S. divinitatem, & processionem a Filio agnoscunt. Neque est, cur Græci Schismatici querantur de voce *Filioque* adjecta Constantinopolitano Symbolo; hoc enim jure facere Occidentales poterant, neque hi, ut idem facerent Græci, eis vim ullam adhibuerunt.

LIII.



## LIII.

Lateranenſis IV. Concilii Canon III. non Romano Pontifici, non ipſi Eccleſiæ adjudicavit jus in res Regum, ac Principum politicas.

## LIV.

Innocentius IV. Pontifex, non vero Lugdunenſis Concilii Patres Fridericum II. exuere Imperatoria dignitate tentarunt.

## LV.

Decretum Seſſionis IV. Conſtantienſis Concilii de Conciliorum generalium auctoritate genuinum, ac integrum ad nos pervenit.

## LVI.

Ejusdem Concilii Decreta Seſſionis V. de generalium Synodorum auctoritate condita ſunt, & omnibus penſitatis, & omnibus quorum intererat conſentientibus.

## LVII.

Hiſtorica, quæ quidem fide digna ſint, monumenta nulla iis ſuffragantur, qui hujus Concilii Seſſionis IV. & V. decreta, quibus ſuprema generalium Synodorum auctoritas ſtatuitur, ita explicant, ut illa de ſolo Schismatis tempore intelligant.

LVIII.



# LVIII.

Ex Historia apertum est, Concilii Tridentini Patres, nec attritionis, ut ajunt, pure formidolosæ defensoribus, nec eorum adversariis favere voluisse.





# DE SCHISMATE GRÆCORUM.

# DISSERTATIO I.

## DE PHOTIANO SCHISMATE, ET OCTAVA SYNODO OECUMENICA.

### §. I.

*Bardæ, Gregorii Syracusani, & Photii conspiratione Ignatius Constantinopolitanus Patriarcha a Sede detruditur.*

Decimus & tertius agebatur annus ex quo *Michael Theophili* Imperatoris filius sub matris *Theodoræ* prudentissimæ religiosissimæque fæminæ tutela felicissime regnabat, cum egressus ex ephebis, per seipsum Rempublicam moderari voluit. Fuerant pessime indolis Principi ad omne malum seu illectores, seu assentatores, nequissimus Præceptor, & *Bardas Theodoræ* Augustæ frater, quem ipsi dederat illa Rectorem. Hujus *Bardæ* malis artibus *Manuel* Magister sive Militiæ Præfectus, & *Theoctistus* Magnus Logotheta sive Cancellarius Imperii a rerum administratione publicarum amoti. *Manuel* in Ædes suas secedens, Vitam duxit Monachorum vitæ sanctitate non

imparem. *Theoctiſtus*, quem æmulationis ſtudium ad *Manuelis* procurandam exauctorationem *Bardæ* adjunxerat, per calumniam ab iniquiſſimo Imperatoris Præceptore accuſatus, quod Theodoram Auguſtam ad recuperandum Imperium incitaret, ac juvare decreviſſet, eodem agente *Barda*, occiſus eſt. Ejus deinde conſilio *Theodora Auguſta* privatam ad ſortem redacta eſt anno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo quinto. Tum *Michael Imperator* rerum omnium adminiſtratione *Bardæ* avunculi arbitrio permiſſa, quem Curopalatem, deinde Cæſarem creavit, totum ſe ludis, aurigationibus, perpotationibus, omnibusque voluptatibus dedit, *Neronis* inſtar; effuſæ in omnem intemperantiam libidini addens impietatem, qua rebus ſacris illudebat. Præerat Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ *Ignatius Michaelis Rangabis*, Imperatoris filius, *Nicephori Auguſti* ex filia *Procopia* nepos, *Leonis Armeni* Tyranni juſſu cum fratribus Eunuchus factus, in inſulam deportatus, concluſusque in Monaſterio *Satyri*, & poſt egregia virtutum ſpecimina eidem præpoſitus Abbas. Defuncto demum *S. Methodio*, non abſque divinis ominibus *Teodora Auguſta* agente, Conſtantinopolitanus Patriarcha electus & inauguratus, anno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Is *Bardam* Imperatoris avunculum, & Regni Moderatorem, quod repudiata uxore, inceſtam cum nuru ſtupri conſuetudinem haberet, Communione privavit, quem paternis admonitionibus emendare fruſtra tentaverat. Ob cenſuram æquiſſimam Sancto Patriarchæ *Bardas* infenſus, ulciſci ſe decrevit occaſione data. Atque ut *Ignatium* ob vitæ ſanctimoniam perditiſſimo Imperatori jam inviſum, malis artibus apud ipſum velut reum Majeſtatis facilius traduceret, *Michaeli* perſuaſit, ut matrem *Theodoram* velari juberet ab *Ignatio*, ne forte conjugium iniens, maritum ad Imperium, eo deturbato, provehere niteretur. Auguſtam vellare invitam recuſavit *Ignatius*, maxime quod illi fidem ſolemni juramento, ut moris erat, obſtrinxiſſet, poſtquam Patriar-

triar-

triarcha inauguratus est. Hac arrepta occasione, *Bardas* Imperatori suggessit, Patriarcham *Theodoræ Augustæ* partibus penitus addictum, cum ipsa res novas moliri. Quin etiam Gebonianæ factionis reum egit *Ignatium*. *Gebo* vir malesanæ mentis, Dyrrachio (De Duras) nuper venerat, se *Theodoræ Augustæ* filium ex alio viro jactitans: cui non pauci, ut est ingenium plebis ad novitatem propensum, velut futuro Imperatori adhærebant. Hunc manibus pedibusque truncatum & oculis orbatum ludibrio habuit Imperator. *Ignatium* vero, instigante *Barda*, in Insulam *Terebinthum* relegavit. Missi deinde Episcopi Aulici, ac Patricii, qui cessionem Patriarchatus ipsi vehementer suaderent, Ecclesiasticæ pacis gratia: at invictissimus Præsul nec precibus, nec minis adduci potuit, ut se Episcopatu abdicaret. Quam illi constantiam, non dignitatis amor, sed Ecclesiasticæ libertatis & æquitatis studium, quam cessione sua videbat oppressum iri, imperabat. Ista constant ex *Niceta Paphlagone*, in vita *S. Ignatii*, ex *Curopalate*, ex *Anastasio Bibliothecario* in Præfatione VIII. Synodi, & *Cedreno*.

## §. II.

### *Photius intruditur in Sedem Constantinopolitanam.*

Constantinopoli tunc degebat *Gregorius* Syracusanus Episcopus, quem *Ignatius* Patriarcha ante aliquot annos seditionis, schismatis, aliorumque criminum convictum, congregata Synodo deposuerat. Orientalis Imperii pars adhuc erat Sicilia, & Constantinopolitano Patriarchæ parebant illius Provinciæ Ecclesiæ, ex quo illas cum omni Diœcesi Illyriciana *Leo Isauricus* a ditione Patriarchica Romani Pontificis abstraxerat. Non mirum itaque quod *Ignatius* Gregorium Syracusanum judicarit. Ut autem ejus exauctoratio rata esset, *Leonis IV.* Romani Pontificis rogavit assensum, quem ille distulit, donec altera pars audire-

tur, ut conftat ex Epiftola IX. *Nicolai I.* anno octingentefimo quinquagefimo fexto *Ignatius* ad eumdem Pontificem mifit Acta Synodalia, documentaque omnia, quibus *Gregorii Syracufani* depofitio legitime facta probaretur: quam *Benedictus Tertius* caufa difcuffa confirmavit, ut teftatur *Nicolaus I.* Epiftola 6. ad *Photium*, & Epiftola 10. ad Clerum Conftantinopolitanum; quod & *Stylianus* Neocæfareæ Euphratefiæ Epifcopus in Epiftola ad *Stephanum VI.* Pontificem Maximum confirmat. Hoc infuper habito judicio, dignitatis infignia fervavit femper nequiffimus *Gregorius*, *Barda* patrocinante: cui ut vicem referret, operam illi fuam contra *Ignatium* Patriarcham pollicitus eft. Nec implere diftulit neceffaria promiffa. Non paucos enim Epifcopos, quos Aulæ peftilens aura afflaverat, cum traxiffet in partes, irregulari facto Conventu, depofitum dixit *Ignatium*, & *Photium* Patriarcham renuntiavit, inauguravitque, fex dierum fpatio ad omnes Ordinum gradus ipfum promovens, prima fcilicet die Monachum, altera Lectorem, tertia Subdiaconum, quarta Diaconum, quinta Presbyterum, fexta Epifcopum ordinans, ut teftatur *Nicetas in vita S. Ignatii.*

*Perfecutio in S. Ignatium movetur.*

*Photius* vir erat nobilitate infignis, Tarafii quondam Patriarchæ nepos, *Sergii* Patritii frater, Protofpatharii dignitate ornatus, & Legatus Imperatoris in Perfidem, tunc vero eidem a Secretis primus: opibus potens, ingenio, & fæculari litteratura nulli fecundus: cæterum ambitione impotenti ad quodvis audendum nefas paratiffimus. Hunc *Bardas* amiciffimum, fuisque devotiffimum confiliis habuit; Quo ufus eft miniftro ad perfequendum Sanctiffimum Patriarcham *Ignatium.* Suggeffit nempe Imperatori *Photius*, *Ignatium* in exilio res novas moliri. Miffi fatellites, qui ipfum longius deportarent; in *Copronymi* fepulchro inclufus, fætore, & fame extinctus fuiffet, nifi viri pii, delufis, aut præmio conciliatis cuftodibus, ipfum eduxif-

duxissent. Mutatis subinde sæpius carceribus, & exilii locis, quasi nullus ad ipsum cruciandum satis asper crudeli *Bardæ*, & immiti *Photio* videretur, famem, verbera, dentium contusionem passus a barbaro milite, cum Episcopatus cessioni subscribere invicta constantia recusaret, in Mitylenem Insulam, onustus vinculis, deportatus est. Nec in unum *Ignatium* exarsit persecutio: In Præsules, Clericos, Monachos, bonosque omnes, qui *Photio* ceu Patriarchæ legitimo communicare noluerunt, desæviit. *Basilio* Chartophylaci *Ignatii* amputata lingua, quod Sanctissimi Patriarchæ innocentiam libere tueretur: alii variis modis vexati, ut constat ex Libello Episcoporum Octavæ Synodi Patribus oblato, & actione secunda relecto. *Photius*, *Barda* & *Michaele* Imperatore faventibus, plurimos Episcopos, & Clericos Principum voluntati ignavissime servientes, seu spe præmiorum, seu exilii metu, partibus suis adjunxit: quibus in Synodi speciem congregatis, *Ignatium* solemniori judicio exauctoratum declaravit, & anathemate perculit, quo facilius populum ab ejus Communione absterreret. Cum vero multos Episcopos, plebisque partem maximam ab *Ignatio* stare nihilominus videret; ita ut collecti in Æde *S. Irenes* Antistites ipsum anathemate confixissent, & a Patre, filio, & Spiritu Sancto depositum renuntiassent: quod primum contestatus se *Ignatium* pro inculpato, & violenter ejecto habiturum, seque tamquam ejus Coadjutorem gesturum, Chirographum suum rescidisset, ac fidem fefellisset: *Nicolao Primo* Pontifici Maximo obrepere conatus est, ab eoque Ordinationis suæ confirmationem impetrare. Romam itaque misit Oratores *Theophilum* Amorii Episcopum, & *Samuelem* Chronarum, quibus *Arsam*, sive *Arzabir* Spatharium Imperator adjunxit, deditque Literas Pontifici suo nomine tradendas, muneraque magnificentissima SS. Apostolorum Principibus consecranda. Pietatis speciem præferebat ejusmodi Legatio, & a Principe de rebus Religionis solicito decreta videbatur:

batur: Rogabat enim *Nicolaum I.* ut Legatos Conſtantinopolim dirigeret, qui ejus Auctoritate collapſam in Oriente diſciplinam reſtaurarent, & repullulantis Iconomachorum hæreſeos radices penitus evellerent. Literas etiam ad Pontificem dedit *Photius*, quibus fidei Profeſſionem inſeruit: *Ignatium* ſenio & morbo confectum ſe Patriarchatu abdicaſſe mentitus, ſuoque in Cœnobio commorari, & a Principibus, populoque, & tota Eccleſia, omni honore, & officiis coli: ſe vero, ſecedente *Ignatio*, electum omnium Metropolitanorum, totiusque Cleri ſuffragiis, vimque ab Imperatore ſibi factam, ut Patriarchalis Throni faſtigium aſcenderet. Iſta conſtant ex *Niceta* in Vita S. Ignatii, ex Epiſtola *Photii* ad *Nicolaum primum*, apud *Baronium*, Tom. X. Annalium ad annum Chriſti 859. ex Epiſtola X. *Nicolai I.* ex Præfatione *Anaſtaſii Bibliothecarii* in Synodum VIII. ex Epiſtola *Styliani* ad *Stephanum VI.* Summum Pontificem, & ex Epiſtola *Metrophanis* Metropolitæ Smyrnenſis ad *Manuelem* Dromi Logothetam.

## §. III.

### *Quid in cauſa Ignatii, & Photii geſſerit Nicolaus I.*

Auditis Imperatoris, *Photiique* Legatis, lectisque Literis, ac diſcuſſis, *Nicolaus* Pontifex prudentiſſimus Legationem decrevit in orientem, cujus gerendæ munus impoſuit *Rodoaldo* Portuenſi, & *Zachariæ* Anagniæ Epiſcopo: quibus dedit in mandatis: ut redivivam de cultu ſacrarum imaginum quæſtionem ſecundum ſeptimæ Synodi Decreta definirent, ac Iconomachorum reliquias Auctoritate Sedis Apoſtolicæ comprimerent. Cauſam vero *Ignatii Patriarchæ diligenter inveſtigarent, & Sedi Apoſtolicæ plenis, ac veracibus referrent indiciis.* Merito ſolum examen iſtius negotii Legatis permiſit, ultimum judicium ſibi reſervavit

vavit

vavit Pontifex, quod e *majoribus Ecclesiæ causis* hæc esset. Præcepit etiam Legatis ne cum Photio, *nisi quasi cum Laico*, communicarent, ut ipse testatur Epistola I. *Ad universos Catbolicos*, & Epistola X. *Ad Episcopos Diœceseos Constantinopolitanæ.* Scripsit ad *Michaelem* Imperatorem, & ad *Photium* per Legatos *Nicolaus.* Epistola ad Imperatorem incipit his verbis: *Principatum itaque divinæ potestatis.* Hac improbat vehementer exauctorationem *Ignatii* Patriarchæ *sine Romani consultu Pontificis* factam. II. Consecrationem *Photii* ex ordine Laicorum assumpti, in qua violatos Canones Sardicenses ostendit, & Decreta Romanorum Pontificum Cælestini I. Leonis I. Gelasii, & Hadriani I. conculcata. III. Decernit ut sistatur coram Legatis Apostolicis, & universa Synodo *Ignatius*, ut inquiratur, quam ob causam Episcopatu cesserit, & utrum in ejus depositione Canonum tenor fuerit observatus. IV. Traditionem de sacrarum imaginum veneratione a Decessoribus suis confirmatam exponit. V. Diœcesim Illyricianam a *Leone Isauro* distractam, Syracusani Archiepiscopi consecrandi libertatem, & Patrimonia in Sicilia, & Calabria constituta, Romanæ Ecclesiæ reddi jubet. Rogat demum, ut Legatos Apostolicos honorifice & benigne suscipiat. Data est Epistola die 25. Septembris, anno octingentesimo quinquagesimo nono. Epistola ad *Photium* incipit his verbis: *Omnis utilitas, & profectus animarum. &c.* Ejus Ordinationem contra Canones factam ratam se habere non posse significat, donec per Legatos certior factus sit de ejus fide ac gestis.

Constantinopoli, cum pervenissent Sedis Apostolicæ Legati, centum dierum spatio detenti sunt ab Imperatore, *Barda*, & *Photio* suggerentibus, eisque negata quemquam alloquendi licentia, præter eos, quos ad ipsos mittebant; ut ipsis exilii, famis, pædoris minas intentarent, nisi ratam haberent *Ignatii* exauctorationem, ac *Photii* Ordinationem, ut ipsi *Photio* expro-

brat *Nicolaus I. Epistola* 6. Minis itaque concussi, & muneribus illecti, ministerium suum fœda proditione dehonestarunt, & *Photio* favorem omnem ac patrocinium sunt polliciti.

## §. IV.

### *Synodus Latrocinalis contra Ignatium Constantinopoli celebrata.*

*Photius* miram in securitatem elatus ex ignavia Legatorum, Synodum Constantinopolim congregari curavit ab Imperatore anno octingentesimo sexagesimo primo. Adfuit, immo præfuit Imperator, cujus ad nutum gerebantur omnia, prout suggerebat *Photius*, quamvis Legatis Apostolicis inane Præsidum nomen, & umbra quædam προεδρίας relicta esset, ut Oecumenicæ Synodi speciem haberet aliquam hic Conventus. Ingens erat Episcoporum *Photio* devotorum numerus: adeo, ut *Michael* Imperator gloriatus sit, Nicænæ Synodo non plures interfuisse, ut refert *Nicolaus I. Epistola V.* jactantiam illam comprimens hac ratione: Quod nihil prosit numerus Nicænorum Patrum, ubi ab eorum sententiis, & æquitate deviatur, & quod major sit peccatorum cumulus, ubi multiplex agmen est prævaricatorum. Cum Sedis Apostolicæ Legati Literas *Nicolai* Pontificis Maximi tradidissent, ut secundum Conciliorum morem legerentur, *Photius* multa in iis immutavit, suppressit, mutilavit. Maxime quæ ipsius intrusionem, & violentam *Ignatii depositionem* perstringebant, cujus causam suo judicio definiendam Pontifex reservabat. Istius interpolationis probationes affert *Nicolaus I.* Epistola 9. ad *Michaelem* Imperatorem.

Post hæc *Ignatius*, qui ex Insula *Mytilene* in *Terebinthum* Insulam revocatus, & inde Constantinopolim adductus fuerat, Synodo se sistere jussus est Legatorum Apostolicorum nomine. Cumque Patriarchali ornatu

natû procederet, Episcopis, Clericis, Monachis, civibusque non paucis comitibus, occurrit *Joannes* Patritius cognomento *Coxes*, Imperatoris nomine ipsi denuntians periculum capitis, nisi positis infulis, & sola Monachi veste indutus, ad Synodum accederet. Sacris mox vestibus exutus, Imperatori, Synodoque prædatoriæ sistitur. Sanctum patriarcham Princeps petulantissimus conviciis afficit. Respondet modestissimus Præsul, convicia tormentis paulo esse mitiora. Quo responso nonnihil mitigatur Imperatoris animus, eumque in ligneo scamno sedere jubet, licentiamque dat colloquendi cum Legatis Apostolicis. Rodoaldum itaque & Zachariam salutat, ab iis qnærit, num aliquas a Romano Pontifice litteras ad se scriptas habeant? *Nullas*, respondent illi, *eo quod non ad Patriarcham, seu ad eum, qui in Provinciæ suæ Synodo damnatus est, venerimus, parati omnia ex Canonum Decretis definire.* Quibus Ignatius: *Ergo*, inquit, *prius adulterum removete: Quod si facere non potestis, ne Judices quidem estis.* Illi vero manu Imperatorem indicantes: *Ita imperat*, dixere. Mox Palatini Proceres urgent *Ignatium*, ut sponte Patriarchatu se abdicet. Quod constantissime negans, ad Synodum citatur. Judices recusat Sanctus Antistes, Romanumque Pontificem appellat. *Ego*, inquit, *non compareo, neque video vos Judices quidquam ex præscripto Ecclesiæ agentes, Photio tyranno non ejecto, ad cujus mensam accumbitis, & cujus munera procul etiam stantes accepistis . . . . . Hujuscemodi ergo Judices non agnosco: ad Papam provoco; lubens Judicium illius subibo.* Legi postulat tum *Innocentii Primi* Decretum in causâ *S. Joannis Chrysostomi*, quo statuit prius eum in Sedem restituendum, quam Judicium subiret: tum Canonem quartum Synodi Sardicensis, quo sancitum est, ut, *Si quis Episcopus fuerit depositus, dicatque se habere defensionem, non prius sufficiatur in locum ejus alius, quam de eo Romanæ Ecclesiæ Pontifex decernat.*

Urgent nihilominus Sanctum Antistitem, ut Synodo se sistat. Illis vero ipse exprobrat ignorantiam contemptumque Canonum, quod per Diaconum, & laicum ad Synodum vocent Patriarcham Secundæ Sedis, quum Ecclesiæ Lege sancitum sit, ut judicandus a Synodo Episcopus per duos Antistites iterum ac tertio conveniatur. Testes illi præsto esse dicunt, qui juramento confirment ipsum canonice non fuisse consecratum Patriarcham, sacrisque Infulis indignum esse. Tum ille: *Si ego Archiepiscopus non sum, neque tu quidem Imperator es, neque isti Episcopi, Omnes enim vos indignis manibus meis precibusque estis consecrati.* Sistitur tandem latrocinali Synodo *Sanctus Ignatius*, duo & septuaginta testes muneribus redempti, quos inter & hæretici Dibaptistæ, contra ipsum audiuntur: qui perjurio confirmant ipsum canonice ordinatum non fuisse, sed a potestatibus sæcularibus intrusum, Ecclesiamque tyrannice rexisse. Episcoporum nemo intercessit præter *Theodulum* Ancyranum, qui propterea percussus est a nescio quo parricida & proprio sanguine ob justitiæ defensionem purpuratus. Lectus est Canon inter eos, qui Apostolici inscribuntur, vulgatus, cujus hæc sunt verba: *Si quis Episcopus sæcularibus Potestatibus usus, per ipsas Ecclesiam obtineat, deponatur.* Photium perstringebat, damnabatque Canon ille, non *Ignatium.* Damnatus tamen est *Ignatius*, quia nulla Canonum, nulla veritatis, & æquitatis ratio prorsus habebatur, sola impotenti freti potentia Judices decernebant. Induunt itaque Pontificiis vestibus Ignatium, pannosis quidem & sordidis, moxque sacræ dignitatis insignibus exui jubent. Nefarii facinoris ministrum se præbet Subdiaconus olim ob vitia depositus, nomine *Procopius*, qui Pallium, ceterasque vestes sacras insonti Patriarchæ detrahens, istud solemne proclamabat: *Indignus.* Zacharias, & Rodoaldus Apostolicæ Legationis prævaricatores, aliique homines perditi & corrupti, simili vociferatione suffragabantur.

Non-

Nondum tamen *Bardæ* odiis, & *Photii* invidiæ factum satis. Damnatum *Ignatium* satellitibus tradunt immaniter divexandum, donec exauctorationi suæ ipse subscriberet. Colaphis plectitur, frigore contabescit, carcere, & inedia duarum hebdomadum maceratur, & prope conficitur; in *Copronymi* sepulchrum vi ereptus, saxis e pedibus suspensis cruciatur, impetu super marmora jactatur, quæ sanguine tot expresso tormentis perfundit. Ad tot cruciatus accessit dyssenteria, quo morbo pene confectus, cum vix spiraret, *Theodorus* Photii satelles, manu ejus apprehensa, Crucem in charta pura exaravit, paginamque tradidit *Photio*. Qui signo crucis hæc suapte manu subjicere ausus est: *Ignatius indignus Constantinopolitanus confiteor me non lege, & suffragiis creatum, Ecclesiæ Thronum invasisse, neque his annis rite, & sancte Ecclesiam rexisse, sed tyrannidem exercuisse.* Pseudochirographo Imperatori misso velut trophæo quodam Sanctus Patriarcha e carcere dimissus, maternis in ædibus *Poseos* paululum a tot ærumnis recreabatur, cum *Photius* nondum se tutum existimans, nec firmiter in Sede collocatum, quam tyrannice invaserat, suggessit Imperatori, operæ pretium esse, ut *Ignatius* ad Basilicam Apostolorum reductus, exauctorationem ipse suam publice ex ambone legeret, sibique ipsi anathema diceret. Nec id ipsi, & crudeli *Bardæ* visum satis. De eruendis ipsi oculis, manibusque præcidendis consilium ineunt, ne in Sedem regredi valeat. Quamobrem ipsa die Pentecostes, missa militum manu ædes ejus obsident. Vir Sanctus servili sordidaque veste indutus, geminas sportas e pertica suspensa humeris gestans, quo facilius Custodes deluderet, uno *Cypriano* discipulo suo comite, vix evasit: & Proconesum, aliasque Propontidis Insulas, desertaque loca pererrabat, victum a piis emendicans. Missus *Oryphas* cum sex Cursoribus, ad loca maritima, cunctasque Iusulas *Ignatium* quæsituris: quibus in mandatis datum, ut quocunque deprehensum loco,

loco, velut Imperii perturbatorem e medio tollerent. Sed ipsum tuitus Deus est, quo minus in manus eorum incideret, tantique facinoris in Antistitem innoxium admissi pœnas repetens, Constantinopolitanam urbem terribili terræ motu, solidis diebus quadraginta, afflixit. His veluti cæli irati minis ad mansuetudinem nonnihil inclinati Principes *Michael* Imperator, & *Bardas*, *Ignatio* potestatem fecere ad Monasterium redeundi suum, ac ibi quiete degendi: qui nuntius ubi ad ipsum pervenit, *Petronæ* Patritio Imperatoris avunculo se manifestum fecit. Ille torquem aureum Imperatoris Viro Sanctissimo tradidit ceu securitatis pignus, quem appendens collo *Ignatius* ad *Bardam* accessit. Cui ille: *Quid fugitivi more ex loco in locum profugus oberras?* Respondit *Ignatius*, Se Christi præceptum secutum, dicentis: *Si persequentur vos in una Civitate fugite*
*Matth.* 10. *in aliam.* * Victus itaque ejus innocentia, & virtute *Bardas*, liberum in Monasterium abire permisit; statimque desiit terræ motus. Constant ista ex *Niceta* in *Vita Ignatii*, ex Libello *Ignatii* nomine scripto a *Theognosto*, & *Nicolao I.* cunctisque Occidentalis Ecclesiæ Episcopis oblato, ex Epistolis *Nicolai primi* 7. 8., & 9. & ex *Anastasio Bibliothecario*, in Præfatione Synodi VIII.

Sed ad Latrocinalem Synodum redeamus. Exauctorato præter jus, & fas omne *Ignatio*, habita est pro imaginum cultu Actio altera. Unde hanc Synodum Græci *Primam*, & *Secundam Constantinopolitanam* vocarunt, ut apud *Balsamonem* videre est. Ut vero non fidei solum, sed & Disciplinæ Ecclesiasticæ consuluisse *Photius* videretur, septemdecim Canones in eo condi curavit, quos inseruit *Nomo-Canoni*, quod ibidem meditatus est.

§. V.

## §. V.

### *Canones in Pseudo-Synodo Constantinopolitana Prima, & Secunda conditi.*

*Canon primus* perstringit Monasteriorum Fundatores, qui eorum Dominos etiam post consecrationem se inscribebant; utque huic abusui medeatur, cuiquam nefas esse sancit Monasterium absque licentia Episcopi ædificare. Jubet novi Monasterii dotem, bonaque omnia in Brevi inscribi, & in scriniis Episcopatus Breve hujusmodi reponi. Potestatem adimit Fundatori *seipsum, vel alium pro se constituendi* Monasterii *Præfectum.* Hypocritas quosdam ferit *Canon secundus*, qui Monasticam vestem assumebant non ut Deo pure servirent, sed ut, propter habitus honestatem, pietatis opinionem consequerentur: & in propriis ædibus arbitrio suo vivebant. Huic malo ut eat obviam, statuit Monastico habitu induendum esse neminem, nisi ab eo, qui Monasterio præest, qui eum ad obedientiam suscipere debet. Depositione decernit mulctandum, qui aliquem contra Canonem tondere præsumpserit; eum vero, qui tonsus est, in Monasterii subjectionem tradendum, ubi voluerit Episcopus. *Canon tertius* segregandos a Communione statuit Monasteriorum Præfectos, qui Monachos transfugas, & apostatas diligenter non requirunt, & invitos non recipiunt, nec emendant. *Canon quartus*, quod grassante Iconomachorum hæresi necessitas suaserat, ut Monachi in alia Monasteria, vel sæculares etiam domos se reciperent; tunc autem sola fiebat plerumque dissoluta Monachorum licentia, prohibet sub pœna segregationis, & Monacho, & ei, qui ipsum susceperit. Episcopis tamen licere declarat, Monachum, cujus pietatem perspectam habuerint, in aliud Monasterium ad ejus constitutionem, regimen, reformationem, quin etiam & in domum sæcularem traducere, ad eorum qui inhabitant, salutem. Rationem affert Balsamon: *Qui enim secundum Deum conversa-*

*tur,*

*tur, a loco non lædetur, ſed & eis, qui una ſunt admodum proderit.* Secundum hanc diſciplinam *Lucam* Patriarcham permiſiſſe narrat *Macario* Hieroſolymitano Monacho, & Sacerdoti cum *Michaele Agiotheodorito*, Supremo Logotheta Curſus perpetuo verſari, & Scribæ officio fungi. *Canon quintus* triennio ſolido probari jubet eos, qui in Monaſteria recipi volunt, antequam Angelico habitu induantur. Ob morbum periculoſum probationis tempora contrahi permittit. Necnon in gratiam eorum, qui Vitam Monaſticam in habitu ſæculari, propriis in ædibus ducunt: quibus ſex probationis menſes ſufficiunt. Hanc legem de probatione per triennium iis ſolum poſitam interpretatur *Balſamon*, qui ignoti ſunt, & de quibus dubitatur, an alicui fortunæ ſint obnoxii. *Canon Sextus* Monachos, & Moniales nihil proprium habere debere ſtatuit; nec poſſe de rebus ſuis ullo pacto diſponere, ubi vitam amplexi fuerint Monaſticam. *Canon Septimus* vetat ne Epiſcopi nova Monaſteria ad Epiſcopatuum ſuorum perniciem conſtruant. Si fecerint, ad Epiſcopale dominium redigentur. Sed ſi nullum Epiſcopatui creetur incommodum novi Monaſterii conſtructione, cenſet illam non prohiberi hoc Canone *Balſamon*, cum Photius ipſe *Emanuelis* Monaſterium a fundamentis erexerit, & alii Patriarchæ, quos cum laude commemorat, nova etiam Monaſteria excitarint. *Canon octavus* eos qui eunuchos faciunt, aut fieri jubent, niſi cogente morbo, Sacerdotes quidem deponit; Laicos vero a Communione ſegregat. *Canon nonus* depoſitionis pœnam incurrere declarat Sacerdotes, qui per ſe, vel per alios, quempiam verberant: cum doctrinis & admonitionibus, quandoque etiam pœnis Canonicis, in delinquentes animadvertere Sacerdos debeat, non flagellis, & verberibus in hominum corpora inſultare. Contumaces tamen ad Magiſtratus deferri permittit ut coerceantur, juxta Canones Antiochenæ Synodi. Pœnam Canonis non incurrere Præceptores, qui diſcipulos eruditionis gratia verberant, notat *Balſamon*, niſi

cum

cum ira percutiunt, aut baculo, quo cædes fieri posset. *Canon decimus* depositione mulctat eum, qui vasa sacra, aut ornamenta Ecclesiastica rapuerit; aut ad profanos usus converterit. *Canon undecimus* Presbyteros vel Diaconos, cæterosque Clericos, qui sæculares Magistratus, vel curas suscipiunt, depositione ac expulsione ex Clero plectendos statuit, secundum antiquos Canones. *Duodecimus* deponi jubet eos, qui celebrant, vel baptizant in Oratoriis præter Episcoporum voluntatem, secundum Canonem 31. Trullanæ Synodi. *Canon decimus tertius* statuit Sacerdotes, & Diaconos esse deponendos, qui ausi fuerint ab Episcopi sui Communione recedere, ante Synodalem cognitionem, & perfectam ejus condemnationem. Inferiores Clericos, qui Schismaticis hujusmodi adhærent, removet ab honore; Monachos & laicos a Communione segregat. *Decimus quartus* eamdem pœnam decernit in Episcopum, qui se Metropolitani sui Communione subduxerit, ante Synodi judicium. *Decimus quintus* eidem pœnæ subjicit multo magis Presbyteros, Episcopos, & Metropolitanos ipsos, qui se a Patriarchæ Communione abstraxerint, nisi palam hæresim doceret. Hunc Canonem *Photius* condidit, ut rebus suis consuleret, atque in eos agere secundum Canones videretur, qui Communionem ipsius repudiabant. *Decimus sextus* vetat ne viventi Episcopo alter superordinetur, nisi sponte cesset, aut canonice fuerit depositus. Statuit insuper ut, qui nec cedere vult, nec gregem pascere, & ultra sex menses manet extra Diœcesim, nec Regiis, nec Patriarchæ sui mandatis, neque gravi morbo detentus, ab Episcopatus dignitate, & honore penitus amoveatur. *Canon decimus septimus* prohibet ne ullus Laicus, aut Monachus repente ad Episcopalem Dignitatem deinceps promoveatur, nisi per omnes gradus processerit, in unoquoque Ordine tempus præstitutum adimplens. Hoc etiam Canone rebus suis consultum voluit *Photius*. Cum enim violatas Ecclesiæ leges in ejus Ordinatione optimi quique quererentur, quod ex Laico

co

co Episcopus subito inauguratus esset, voluit ipsorum pro Disciplina Ecclesiastica studio facere satis, decernendo ut in posterum id non fieret: & declarando Ecclesiæ Legem non esse paucorum exempla, qui propter eximias dotes, exigente necessitate, statim Episcopali honore digni habiti sunt. Quod innuit, ut Ordinationem suam *Nectarii*, S. *Ambrosii*, *Tharasii*, & *Nicephori* exemplis tueretur, qui ex Laicorum Ordine ad Episcopatum assumpti fuerant.

## §. VI.

*Nicolaus I. Photianam Synodum in irritum mittit, restituit Ignatium, damnat Legatos prævaricatores.*

Antequam Ignatius bajuli habitu Constantinopoli fugeret, *Theognostus* Archimandrita Libellum Ignatii nomine scripserat ad *Nicolaum* Pontificem Maximum, quo suas omnes suorumque calamitates, & *Photii* tyrannidem, Sanctus Patriarcha Vicario Christi exponebat, ejusque se appellasse significabat Judicium. Romani Pontificis Primatum vel ipsa Libelli inscriptio egregie probat. Sic enim habet: *Ignatius tyrannide oppressus*, &c. *Sanctissimo Domino nostro & Beatissimo Præsidi, cunctarum Sedium Patriarchæ, S. Petri Principis Apostolorum Successori, Oecumenico Papæ Nicolao, Episcopisque illius Sanctissimis, & Sapientissimæ Ecclesiæ Romanæ universæ, &c.* Sic desinit Libellus: *Tu Sanctissime Domine, ostende in me viscera miserationum, & cum magno Apostolo & ipse dicas: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Intuere majores tuos Patriarchas, Fabianum, Julium, Innocentium, Leonem, & omnes denique qui pro fide & veritate viriliter decertarunt: illosque æmulare, & vindex pro nobis tam indigna passis exurge.* Hunc Libellum *Theognostus* veste mutata, clam Romam properans, *Nicolao* Papæ obtulit, ipsique causam omnem *Ignatii*, & Synodi Latrocinalis gesta exposuit.

In-

Interea Legati prævaricatores *Rhodoaldus*, & *Zacharias*, muneribus onusti, Romam rediere. Profectus est statim post eos *Leo* Imperatori a Secretis, ejusque ad *Nicolaum* Pontificem Orator, Principis, *Photiique* litteras deferens. Nil aliud renuntiavere Legati, nisi depositum *Ignatium*, & *Photium* in Sede Constantinopolitana firmatum. Imperatoris Orator duo volumina Summo Pontifici obtulit; quorum unum depositionis *Ignatii Gesta* continebat: alterum Acta de Sanctis Imaginibus complectebatur, quibus cognovit prudentissimus Pontifex Epistolas suas nedum non fuisse perlectas in Conventu Constantinopolitano, sed fœde interpolatas fuisse; nullam Apostolicorum rationem habitam mandatorum: Legatos suos in contrarium vertisse omnia, quæ ipsis fuerant imperata, cum *Photio* communicasse, *Ignatii* exauctorationem suffragiis suis confirmasse. Obtulit præterea idem *Leo Michaelis* Imperatoris Orator ipsius literas *Nicolao* Papæ, quibus ipsum rogabat, ut *Ignatii* depositioni, & *Photii* confirmationi subscriberet. Tradidit & *Photii* literas * elegantissimas illas quidem, & specietenus caritatem spirantes, atque ad persuadendum aptissimas. Se invitum, ac reluctantem in Sede Patriarchica fuisse collocatum mentitur: inaugurationem suam Nectarii, S. Ambrosii, Tharasii, & Nicephori tuetur exemplis. Canonum executionem in posterum curandam spondet, cavendumque: ne ex Monachis, aut Laicis Episcopi subito fiant, quod & ipse condito canone in Synodo prohibuit: sed, quod gestum est, mitti in irritum non posse absque contumelia Patrum. Sortem suam ob tremendum Pastoralis oneris pondus lugere se simulat hypocrita. Usurpationem ordinationum ad Apostolicam Sedem pertinentium, in Illyrico, & Sicilia, factam ab Episcopis Constantinopolitanis excusat; quod jura Ecclesiastica, maxime quæ de regionibus sunt, & finibus, soleant cum Reipublicæ Potestate, ac administratione mutari. Synodicam sententiam, qua Schismatici compressi sunt (ita S. *Ignatium*, & cum eo communicantes vocat)

* *Eas ex Codice Columnensi descriptas exhibet Baronius tom.* 10. *ad annum* 861.

docet a Legatis Apoſtolicis confirmatam. Editos præterea Canones, quibus Eccleſiæ pax, & diſciplina ſancita eſt. Multo plures ſecundum Romanæ Eccleſiæ diſciplinam ſe cum Patribus conditurum fuiſſe, niſi Imperator interceſſiſſet. Pontifici ingratam eſſe non debere ſuam Ordinationem ait, quamvis ſit ex Laico aſſumptus: cum Canones, quibus Laicorum ſubitæ Promotiones ad Epiſcopatum vetantur, non fuerint in Eccleſia Græca tam ſcrupuloſa religione obſervati. Meræ Diſciplinæ, & Politiæ Eccleſiaſticæ caput eſſe, propter quod Pontifex Maximus nullum aliis Eccleſiis faceſſere negotium debeat: cum varia ſit Eccleſiarum Diſciplina, diverſæque obſervantiæ. Sic Græcos non jejunare Sabbato, Romanos jejunare: Presbyteros Græcos ductis ante Ordinationem conjugibus uti; Latinis impoſitam continentiæ legem. In aliquibus Eccleſiis Monachos ad Epiſcopatum aſſumptos Monaſticam veſtem deponere, non in aliis. *Ita*, inquit, *ubi nulla eſt prævaricatio fidei*, *nec communis*, *& Catbolici Decreti everſio*; *cum alii apud alios mores*, *& leges cuſtodiantur*, *nec cuſtodes injuſte agere*, *nec eos qui non acceperunt*, *contra legem facere*, *is*, *qui recte judicare norit*, *definiat*. Demum Pontificem rogat: ne eos ſuſcipiat, qui ſine commendatitiis literis Romam ex Oriente proficiſcuntur. Id enim eſſe contra Canones, quos maxime decet eum obſervare, cui inter Præſules *Primatus obtigit*. Angebat ſcilicet *Photium* plurium ex iis, qui ipſius Communionem repudiabant, & legitimo Patriarchæ adhærebant *Ignatio*, ad Romanam Sedem confugium: quod nequitiam ſuam, fraudes, tyrannidem Vicario Chriſti ab iis revelandas certo ſciret.

Illudere alteri facile potuiſſent harum litterarum præſtigiæ; ſed *Nicolao* perſpicaciſſimo Pontifici, & Sancti Spiritus lumine ſpeciatim afflato illudere non potuere. Convocata enim tota Eccleſia, ſive Epiſcopis qui Romæ tunc aderant, & Clero, præſente Imperatoris Oratore *Leone*, palam conteſtatus eſt, nunquam ſe pro

de-

dejectione *Ignatii*, vel consecratione *Photii* misisse, nunquam missurum esse. Nunquam se depositioni *Ignatii*, & promotioni *Photii* consensisse, aut aliquando consensurum. Mox *Zacharias* Legatus, prævaricationem confessus depositus est; causa *Rhodoaldi*, qui moras in Galliis trahebat, alteri Synodo reservata. Id constat ex Epistolis *Nicolai I. VII. X. & XIII.* Post hæc Oratorem *Leonem* remisit cum literis ad Imperatorem, & ad *Photium*. In Epistola ad *Michaelem* Imperatorem, quæ est. V. inter *Nicolai I.* Epistolas, significat se nullatenus *Photium* recipere, vel *Ignatium* Patriarcham damnare. Evidens esse *Ignatium* ex invidia damnatum: siquidem hæc duo inter se pugnant, qu d juste damnatus sit, ut Constantinopolitanæ Sedis invasor, vel ut alicujus criminis opinione notatus, & quod annos duodecim Regiæ Urbis Sacris innocue præfuerit, ut Synodi ejus tempore celebratæ, & Epistolæ ejusdem Imperatoris, quas præ manibus habet ipse Pontifex, testantur. *Photii* Ordinationi non suffragari ostendit exempla Nectarii, & Ambrosii. Hortatur, immo Auctoritate Apostolica jubet, ut Schismaticos coerceat, nihilque contra Canones inconsulta Romana Ecclesia permittat perpetrari. De suarum literarum interpolatione queritur. Solo se Religionis & Ecclesiasticæ Disciplinæ studio agere contestatur hac in causa.

Cum Photio vero ceu cum Laico agit. * Epistolam ad ipsum datam inscribit: *Prudentissimo Viro Photio*; multa præmittit de Sedis Apostolicæ Auctoritate, & primatu quem *Photius* ipse agnoscebat. *Et quia*, inquit, *universitas credentium ab hac Sancta Romana Ecclesia, quæ caput omnium est Ecclesiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem, qui digni sunt, & gratia Dei redempti exorant: oportet nos, quibus commissa est, solicitos esse, &c.* Et infra: *Constat sanctam Romanam Ecclesiam per Beatum Petrum Principem Apostolorum, qui Dominico ore Primatum Ecclesiarum suscipere meruit, omnium Ecclesiarum*

* *Inter Epistolas Nicolai I. ordine VI. Sedis Apostolicæ, & Romani Pontificis Auctoritas, & Primatus.*

*rum caput esse, & ab ea rectitudinem, atque ordinem in cunctis utilitatibus, & Ecclesiasticis Institutionibus, quas secundum Canonicas, & Synodicas, Sanctorumque Patrum Sanctiones, inviolabiliter retineret, exquirere ac sectari. Et ideo consequens est, ut quod ab hujus Sedis Rectoribus plena Auctoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione, proprias tantum sequendo voluntates, removeatur, sed firmius atque inconcusse teneatur.* Photium deinde perstringit, quod ex Laicorum ordine, sine canonica approbatione ad Patriarchatus dignitatem subito transcendere contra Patrum Decreta non recusaverit, sed temere ad tanti honoris culmen ascenderit. Frustra illum Nectarii, S. Ambrosii, Tharasii exemplis se tueri: quia propter necessitatem, & inopiam Clericorum *Nectarius*; propter miraculorum signa *Ambrosius*; propter Ecclesiastica dogmata, & Iconomachorum expurgationem *Tharasius*, ad Ecclesiarum regimen promoti sunt; ipse vero *Photius* non solum nulla Ecclesiæ necessitate, nulla Dei vocatione ad Sedem Constantinopolitanam subito transvolavit: sed vivente viro, & incolumi, Ecclesiam illam ut mœchus surripuit, & invasit. Tum ad alias *Photii* excusationes respondet *Nicolaus I.* Scripserat *Photius* Canones, & Decretales Pontificum Epistolas, quibus repentina Laicorum inauguratio prohibetur, in Oriente non haberi, vel receptas non esse. Id vix credi posse reponit Nicolaus. *Quod vero dicitis: neque Sardicense Concilium, neque Decretalia vos habere Sanctorum Pontificum, vel recipere, non facile nobis facultas credendi tribuitur: maxime cum Sardicense Concilium, quod penes vos in vestris regionibus actum est, & omnis Ecclesia recipit; qua ratione convenit, ut hoc Sancta Constantinopolitana Ecclesia abjiceret, & ut dignum est, non retineret? Decretalia autem, quæ a Sanctis Pontificibus Primæ Sedis Romanæ Ecclesiæ sunt instituta, cujus Auctoritate, atque sanctione omnes Synodi roborantur, & stabilitatem sumunt, cur vos non habere, vel observare dicitis, nisi quia vestræ Ordinationi contradicunt,*


*eunt*, & *ex Laico subito ad culmen Patriarchatus transvolare resistunt? contra illud Apostolicum* * nemini cito manus imposueris. *Quod si ea non habetis*, *de neglectu, atque incuria estis arguendi: si habetis*, & *non observatis*, *de temeritate estis corripiendi, atque increpandi.* Photius varias Ecclesiae consuetudines praescripserat. Nicolaus reponit: *Si illis Canonica non obsistit Auctoritas*, *pro qua eis obviare debemus*, *nil judicamus*, *vel eis resistimus: Tamen cavere volumus: ne haec vestra consuetudo*, *quae omnium SS. Patrum promulgatione convincitur*, *ut ex laico non subito ordinetur Episcopus*, *vires accipiat.* Significat Romanam Ecclesiam *Ignatium* pro deposito non habere, nisi canonice, & juste damnetur, nec ipsum *Photium* ceu Patriarcham recipere. Demum de vi Legatis Sedis Apostolicae illata, & de *Photii* fraude graviter conqueritur. Data est haec Epistola die 18. Martii anno 862. Eadem die data ad * omnes Patriarchas, Metropolitas, & Episcopos Orientis Epistola, ipsis prohibuit: ne cum *Photio* ceu Patriarcha communicarent. *Sanctitati vestrae*, *inquit*, *qui Catholicas Alexandrinorum*, *Antiochenorum*, *vel Hierosolymorum gubernatis Ecclesias*, *seu cunctis Orientalibus Metropolitis*, *atque Episcopis significamus*, *quoniam Sedes Apostolica nullo pacto venerabilem Ignatium Patriarcham dignitatis propriae Privilegio nudari tam improvide patiatur*; *sed magis repulso a Sanctae Catholicae*, & *Apostolicae Ecclesiae sacro viscere Pervasore conjugis: ut ita dixerimus*, *viri viventis scelestissimo Photio*, *Sanctissimum Patriarcham Ignatium in sui Sacerdotii dignitate manere*, *sicut olim decreverat; iterum quoque Canonico*, *ac legali examine judicat*, & *decernit.* * *Et ut vos hujus Sedis Privilegium rite servantes*, *pari religione Catholici*, *pari etiam nobiscum super venerabilis Ignatii Patriarchae Sacerdotis recuperatione*, & *Photii pervasoris expulsione eadem sentiatis*, *Apostolica Auctoritate vobis injungimus*, *atque jubemus.*

* *I. Timoth.*

* *Nicolai I. Ep.* 4.

* *Nicolaus I. Ep.* 8.

B 3 Ter-



His commotus *Michael* Imperator ſtatim poſt reditum *Leonis*, alium Oratorem ad *Nicolaum* Pontificem miſit *Michaelem* Protoſpatarium cum Epiſtola contumelioſa; qua ipſum urgebat: ut ſententiam mutaret. Invictus Pontifex nihil de conſtantia Apoſtolica remittens, nihil de Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudio: graviſſimas ad Imperatorem literas ſcripſit, quibus ipſum ad juſtitiæ tramitem revocaret. His illum primo reprehendit de injurioſa Epiſtola. Sacerdotibus honorem impendendum docet Scripturæ Sacræ verbis, & Conſtantini Magni exemplo. Priſcorum Imperatorum erga Romanos Pontifices obſervantiam commemorat, ut petulantem Principem refellat, exprobrantem, quod a Sextæ Synodi temporibus Imperatorum nemo Sedem Romanam tam honorificis Legationibus adiiſſet. Pro lingua Latina, quam ille *Barbaram*, *&* *Scyticam* vocaverat, Apologiam ſcribit. Ridiculum eſſe ait: ut Romanorum appellentur Imperatores, qui linguam non novere Romanam. In Conſtantinopolitana Eccleſia Epiſtolam, & Evangelium Latine primum, deinde Græce, in ſtationibus legi ſolitam. Quamobrem idioma ipſius Orientalis Eccleſiæ uſu conſecratum, perperam *Barbarum* appellari.

*Rationes nullitatis in Ignatii Depoſitione.*

Mox depoſitionem Ignatii nullam fuiſſe oſtendit, multiplexque nullitatis caput allegat: Quod ſcilicet omnes, qui contra ipſum convenerunt, aut ſuſpecti, & inimici ejus erant, aut excommunicati, aut depoſiti, aut ipſius ſubditi, aut certe inferioris dignitatis. Suſpectos, & inimicos Judices eſſe non poſſe, probat 1. Ex Canone 6. Concilii Conſtantinopolitani, qui licet in Eccleſia Romana nullus ſit, habetur tamen apud Græcos. 2. Ex cauſa *Athanaſii* Parthenorum Epiſcopi, qui a Patriarcha ſuo canonice depoſitus, cum inimicitias in Judice cauſaretur, a ſancta Synodo Chalcedonenſi ad aliud Judicium reſervatus eſt, decretaque ipſi reſtitutio Sedis, niſi denuo inſtaurata lite, convinceretur. *Quanto magis*, inquit, *Ignatius, qui non a Patriarcha,*

*ſed*

*ſed ipſe potius exiſtens Patriarcha, minime debuit Ecclesia propria inimicis, & ſuſpectis Judicibus decernentibus expoliari.* 3. Id probat ex *Gelaſii* Commonitorio ad *Fauſtum* ita ſcribentis: *Quæro tamen ab his judicium, quod prætendunt, ubinam poſſit agitari, an apud ipſos, ut iidem ſint inimici, & teſtes, & Judices? Sed & tali Judicio nec humana debent committi negotia, quanto minus Divina, & Eccleſiaſtica?* 4. Id probat ex *Juſtiniani* Cod. de Judiciis L. *Apertiſſimæ*, ita ſanciente: *Liceat ei, qui ſuſpectum Judicem putat, antequam lis inchoetur, eum recuſare.* Id denique probat exemplis *SS. Athanaſii, & Joannis Chryſoſtomi*, qui inimicorum Judicia declinarunt.

Aggreditur deinde alterum nullitatis caput, quod ſcilicet depoſiti, & anathemati obnoxii eſſent, qui adverſus *Ignatium* ſententiam tulerunt, aut dixere teſtimonium. Admitti vero non debere ad judicia, accuſationes, & teſtimonia hujusmodi viros. Probat 1. Ex laudato Canone Concilii Conſtantinopolitani apud Græcos recepto. 2. Ex *Cœleſtino I.* Epiſtola 6. ad Epiſcopos Orientales, dicente: *Non poterat quemquam ejus removere ſententia, qui ſe jam præbuerat ipſe removendum.* 3. Id probat argumento a minori: *Miramur*, inquit, *quomodo excommunicati ad judicandum recepti ſint, cum ſecundum Apoſtolicos Canones, ſine commendatitiis literis in Communione ſola recipi prohibeantur. Abſurdum etenim eſt, ut cui non licet etiam cum minimis, juxta ſacras Regulas communicare, liceat penes vos etiam de Majoribus judicare.* Ex his ſequebatur manifeſte irritam eſſe *Ignatii* depoſitionem, quæ a *Gregorio Syracuſano, Eulampio, Petro*, & aliis jure merito depoſitis, & anathemate damnatis, ſancita eſſet.

Tertium ſubinde nullitatis caput diſcutit, oſtenditque Prælatum a ſubditis, Superiorem ab inferioribus judicari non poſſe. Id probat ex *S. Gregorio* p. 3. *Paſto-*

* *Acta illa damnationis Polychronii*

*Pseudepigrapha videri monuimus in Synopsi Hist. Eccles. V. Saeculi, Capit. 2. §. 6.*

*storalis C.* 5. 2. 1. Ex vulgato *Sixti Tertii* facto, qui *Euphemium* Episcopum ob id unum damnasse fertur, quod *Polychronium* Hierosolymitanum Pontificem suum accusasset. * 2. Id probat ex Epistola Pelagii Papæ ad Regem Francorum, qua conquestus est de vocatione *Sapaudii* Arelatensis Episcopi, & Galliarum Primatis, ad alterius Episcopi tribunal, Regio mandato. 3. Id probat ex S. Gregorio Magno, *Lib.* 2. *Epistola* 29. *Indict.* 11. ad Clerum Mediolanensem data: *Judicari namque*, inquit, *a vobis ultra non debet semel Prælatus; sed tanto nunc subtiliter judicandus est, quanto postmodum judicandus non est.* 4. Ex Epistola Ephesinæ Synodi ad *Cælestinum I.* in qua *Joannes Antiochenus*, ad correctionem usque damnatus legitur, quia *Cyrillum* Alexandrinæ, id est, Secundæ Sedis Episcopum irregulariter damnare præsumpsit. *Si enim*, inquit, *data fuerit volentibus licentia, & majores injuriis Sedes afficere, & contra eas in quibus non habent potestatem, contra leges, sic & contra Canones, proferre Sententias, ibunt ad ultimam confusionem Ecclesiæ res.* 5. Id probat ex Concilio Chalcedonensi, in quo *Dioscorus* Alexandrinus Patriarcha absque ulla spe restitutionis damnatus est, quod excommunicationem in *S. Leonem* Pontificem Maximum tulisset. 6 Id probat ex Concilio Romano in causa *Symmachi* Pontificis Maximi congregato, cujus Judicium Patres Deo reservarunt Concilii Sinuessani, & Synodi Romanæ sub Silvestro, pseudepigraphorum monumentorum Auctoritatem etiam allegat.

Quartum postea nullitatis caput persequitur, quod scilicet inconsulta Sede Apostolica depositus fuerit *Ignatius*: cum nunquam, aut certe vix aliquis Constantinopolitanorum Antistitum sine consensu Romani Pontificis exauctoratus reperiatur. Quod Maximi, Nestorii, Acacii, Anthimii, Sergii, Pyrrhi, Pauli, & Petri probat exemplis. Acephalum itaque fuisse illud Concilium colligit, in quo damnatus est *Ignatius* non

ex-

exspectata Sedis Apost. Sententia. Ad hæc Imperatorem redarguit, quod præter jus, fasque Synodo adfuerit in causa *Ignatii* congregatæ officium Sacerdotale usurpans. *Ubinam legistis*, inquit, *Imperatores Antecessores vestros in Synodalibus Conventibus interfuisse, nisi forsitan in quibus de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est, quæ non solum ad Clericos, verum etiam ad laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos? Vos autem non solum Synodo in causa Sacerdotis collectæ interfuistis; verum etiam numerosa sæcularium millia ad videndum ejus opprobrium aggregastis, &c.* Addit nullum esse Concilium nisi Romanæ Ecclesiæ Auctoritate firmetur. Unde *quædam* Concilia, *quia consensum Romani Pontificis non habuerant, valetudinem perdiderunt.* Quod Ephesini Latrocinii, & Synodi Constantinopoli contra imagines celebratæ exemplis confirmat. De Romanæ Ecclesiæ Privilegiis subjungit sane magnifica. *Ecclesiæ*, inquit, *Romanæ Privilegia, Christi ore in Beato Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, & a sanctis universalibus Synodis celebrata: atque a cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari: Quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus. . . . . Privilegia, inquam, istius Sedis, vel Ecclesiæ perpetua sunt, divinitus radicata, atque plantata sunt: impingi possunt, transferri non possunt, trahi possunt, evelli non possunt. . . Ista igitur Privilegia huic Sanctæ Ecclesiæ a Christo donata, a Synodis non donata, sed jam solummodo celebrata, & venerata. . . Nos compellunt omnium habere sollicitudinem Ecclesiarum Dei.* Denique se de persona *Ignatii*, atque *Photii* nil mitius posse decernere significat, quam ut uterque Romam veniant, ut examen causæ renovetur. *Quoniam, cum secundum Canones ubi est major Auctoritas, Judicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet vel ad roborandum: patet profecto Sedis Apostolicæ, cujus Auc-*

*Romana Ec. Privilegia Christi ore firmata.*

*ctoritate major non est, Judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare Judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus:* Quod *Bonifacii II.* in Epistola ad *Rufum* Thessalonicensem, & *Gelasii* in Commonitorio ad *Faustum* Magistrum, Auctoritate confirmat. Consentaneum autem esse Canonibus ostendit; ut *Ignatius*, & *Photius* Romam vocentur causam dicturi: Quod probat ex facto *Julii Primi* in causa S. *Athanasii*, quem, nec non & Eusebianos, qui eum damnaverant, Romam ad Judicium regulariter evocavit. Cum hanc Epistolam scripsit *Nicolaus I. Theognostus* Archimandrita jam Romæ versabatur, Pontificemque de tota serie causæ *Ignatii*, & *Photii* certiorem fecerat, tradito ipsi *Ignatii* Libello: illiusque præsentiam Romæ rebus suis adeo incommodam censebat *Photius*, ut eo suggerente *Michael* Imperator a Pontifice Maximo postulaverit, ut *Theognostum* Constantinopolim remitteret. Scilicet suspicabatur ab ipso incitatum *Nicolaum* Synodum Romæ celebrasse contra *Photium* anno Christi octingentesimo sexagesimo tertio.

*Photius a Nicolao I in Synodo Romana damnatus.*

Hac in Synodo lata damnationis sententia est in *Photium*, qua omni Sacerdotali honore, & nomine exutus est, eique sub anathemate, quo nonnisi in mortis articulo solvi posset, interdictum, ne sacris ultra se Ministeriis ingereret, aut *Ignatium* legitimum Patriarcham perturbaret. *Sit Dei Omnipotentis, & beatorum Apostolorum Principum Petri, & Pauli, & omnium simul Sanctorum, atque venerandorum sex Universalium Conciliorum Auctoritate, nec non & Spiritus Sancti per nos Judicio, omni Sacerdotali honore, & nomine alienus: & omni Clericatus Officio prorsus exutus, &c.* Multiplex depositionis ratio allegatur. Prima quod ex Schismaticis, & laicis ordinatus esset. 2. Quod in viventis innoxiique *Ignatii* Sedem, velut adulter irrupisset. 3. Quod ordinatus esset a *Gregorio Syracusano* Episcopo damna-

*Multiplex ra-*

damnato, & exauctorato. 4 Quod sese depositorum & excommunicatorum communione, & familiaritate foedasset. 5. Quod contra fidem datam, qua nimirum pollicitus fuerat se adversus Patriarcham *Ignatium* nihil moliturum, convocato perditorum Episcoporum Concilio, Sententiam depositionis, & anathematis in illum pronunciare ausus esset. 6. Quod Sedis Apostolicæ Legatos a mandatis Romani Pontificis avertere præsumpsisset, *Acacium* imitatus, eosque pertraxisset ad Schismaticorum Communionem, contempta Legationis majestate, quæ vel ipsis Gentilibus sacra fuisset. 7. Quod *Ignatium*, & ejus fautores immani persecutione vexasset, nec vexare desineret. *tio depositionis Photii.*

In hac etiam Synodo iterum damnatus est *Gregorius* Syracusanus, *Photii* Ordinator, Schismaticus, & dudum depositus a *Benedicto III.* Pontifice Maximo: & omni Sacerdotali Ministerio ita exutus est, ut ei spes restitutionis, aut satisfactionis locus in qualibet Synodo interclusus sit, eique denuntiatum anathema, si munia Sacerdotis aliqua obiret, vel contra *Ignatium* turbas excitare pergeret. Tertio, omni Clericali Officio hac in Synodo privati sunt, qui a *Photio* fuerant ordinati: Quia manifestum erat eos in omnibus Consecratoris sui pravitatibus consensisse, atque post invasionem communicasse. Quarto, pristinum in gradum restitutus est *Ignatius*: immo nusquam fuisse depositum, vel anathematizatum; sed Imperiali potentia, absque ulla Canonica Auctoritate Ecclesia pulsum, pronuntiatum est. Quinto, in gradus etiam, Sedesque suas restituti sunt, qui in odium *Ignatii* fuerant depositi, & in exilium amandati. Sexto, sacrarum imaginum veneratio contra Iconomachos confirmata est. Septimo, *Rhodoaldi* prævaricatoris, & contumacis Legati, qui Synodi examen fugerat, conclamata damnatio est: Ista constant ex Epistola VII. *Nicolai I.* ad *Michaelem* Imperatorem data, & ex Epist. 70. ad *Hincmarum*, & Gallicanos Episcopos.

§. VII.

## §. VII.

*Photius congregata Synodo, Nicolaum I. Romanum Pontificem excommunicat: Literas Encyclicas contra Romanam Ecclesiam scribit: altera Synodo convocata, Schisma confirmat.*

*Photius*, de his quæ in Synodo Romana contra ipsum decreta fuerant, certior factus, actusque in rabiem, quod plebs fidelis ab ejus communione turmatim discederet, diram persecutionem in Catholicos Ignatianæ, & Romanæ Communionis excitavit. Quin etiam eo prorupit audaciæ, ut congregato Conciliabulo, cujus se *Michael* Imperator Præsidem gessit, subornatis Impostoribus, qui se Vicarios, ac Legatos Orientalium Patriarcharum mentiti sunt, accusatoribus, testibusque pecunia redemptis, conficta crimina Sanctissimo Papæ *Nicolao* impegerit, eumque anathemati, proh scelus! damnaverit. Tam sacrilegæ temeritati, tam impudenti facinori cuncti refragati sunt, quibus aliquis Numinis timor adhuc inerat: unus tantum, & viginti Præsules, qui Ecclesiæ ordinem a Christo institutum, animarumque suarum salutem fortunæ suæ postponebant, quam e *Photii* fortuna suspendebant totam, ausum insolentem comprobarunt, & damnationi Pontificis Maximi subscripsere. Conclamarunt cæteri, *Non esse justum in summum, & Primum Pontificem, præcipue ab inferiori quomodolibet Sententiam proferri.* Quamobrem nequissimus Photius Conciliabulo suo majoris Auctoritatis speciem addere volens, quo incautis imponeret, conscripto Codici, calumniis adversus Romanum Pontificem scatenti, mille circiter Episcoporum ementitas subscriptiones interseruit. Cæterum, quem ut *Novum Dioscorum*, & *Antichristi Præcursorem* pene omnes Catholici execrabantur, non pauci deinde secuti sunt, malis ejus artibus in partes tracti. Edictum nempe obtinuit ab Imperatore, quo vetitum erat, ne quis eleemo-

**Photii** *fraudes.*

eleemosynas suas erogaret, aut pia legata dispensaret, nisi per *Photii* manus, quem testamentorum omnium velut generalem executorem constituit. Prima hæc fraus fuit, qua sibi devincire studuit populum opinione munificentiæ ex alienarum opum erogatione facile parta, & necessitate cum ipso communicandi vel in ipso mortis articulo, nisi testamenta sua irrita esse vellent. Præterea omnes, quibus cum ipso res erat, cogebat scripto polliceri: se ejus doctrinæ, & partibus perpetuo adhæsuros. Id testatur *Anastasius Bibliothecarius* in Præfatione VIII. Synodi. Aliud de *Photio* idem Auctor commemorat, (quod cum ad ejus ingenium, & indolem dignoscendam non parum conferat, minime a nobis omittendum est:) Illum scilicet ante annos aliquot docuisse palam, duas unicuique homini inesse animas. Quem ob errorem, cum a *Constantino* Philosopho reprehenderetur, se absurdam opinionem docuisse respondit, non eo animo, ut quemquam in errorem adduceret, sed ut exploraret quomodo se gesturus esset *Ignatius*, si ejus temporibus hæresis aliqua syllogismis Philosophorum obstetricantibus in lucem emergeret.

*Photio* novos ad Schisma conflandum animos addidere Galliarum Archiepiscopi duo, *Gunthariu*s Coloniæ Agrippinæ, & *Theutgandus* Trevirensis, qui a *Nicolao I.* exauctorati, quod Regi *Lothario Thetbergæ* Reginæ conjugis dimittendæ auctores fuissent, eaque insonte licet, confictis criminibus damnata, iniquum approbassent repudium, ad *Photii* partes defecerunt. Id probat Libellus insolentissimus, & injuriis calumniisque scatens, quem ipsi *Nicolao* Papæ tradi ob *Hilduino*, *Gunthari*i fratre, curarunt, quo ejus Communionem ejurabant, *totius Ecclesiæ communione, & fraterna societate se contentos* significantes. Petulantissimum Libellum rejecit Pontifex: ob repulsam indignatus *Hilduinus*, armata manu in Ecclesiam S. *Petri* irrupit, nefariumque scriptum super tumulum

Prin-

Principis Apostolorum projecit, ut Annales Bertiniani testantur. Tum ejus apographum ad *Photium* transmisere impii Antistites, & *Joanni* Archiepiscopo Ravennati, atque *Haganoni* Bergomensi Episcopo confœderati, quos Nicolaus I. ob crimina deposuerat, Schismatico se adjunxere, adversus Magnum Pontificem sub ejus vexillo militaturi. Libelli istius exemplar referunt Annales Bertiniani ad annum 864.

*Nicolai I Epistola ad Imperatorem.*

Illud item schisma roboravit protervus ac impius Græcorum Imperator *Michael*, missa ad *Nicolaum I.* contumeliosa illa Legatione, quam obiit *Michael Protospatharius* anno Christi octingentesimo sexagesimo quinto, scriptisque literis injuriosis, quibus laudatus Pontifex respondit illa, quæ inter ejus Epistolas octava numeratur, Epistola, cujus summam supra exhibuimus. Sed & aliam ad eundem Imperatorem Epistolam dedit *Nicolaus Magnus*, quæ inter ejus Epistolas nonum locum tenet. In ea conqueritur de literarum suarum interpolatione in Photiano Conciliabulo. Multis arguit Imperatorem, quod *Photio* patrocinetur. Tertio postulat: ut contumeliosam Epistolam, quam ad se direxerat, palam igne damnet: alioqui ejus Auctori excommunicationem, ipsi vero Epistolæ flammas ultrices minatur. *Scitote*, inquit, *quoniam postquam in hac vos pertinacia persistere finetenus velle compererimus; primum quidem congregatis cunctarum Occidentalium regionum venerabilibus Sacerdotibus, dictatores, & dispositores, atque præceptores tantæ fallaciæ, seu crudelissimæ derogationis Sanctarum, vel paternarum traditionum, ab omni Christiana compage remotos, Apostolica freti Auctoritate, diris anathematis vinculis innodabimus. Necnon, & Patrum, ac Prædecessorum meorum secuti vestigia, qui soliti sunt etiam numerosorum Concilia nequiter celebrata cassare Pontificum, si qua socia sunt crebro dictæ, vel exemplaria fortassis Epistolæ; quin potius non solum hæc, sed & omnia Scripta, quæ vel adversus fratrem, & Coepiscopum no-*

*nostrum Ignatium inique confecta, vel adversus nos causam illius canonice prosequentes, furiose deprompta sunt, perenni damnationi mandabimus. Deinde vero decernentibus nobiscum eisdem Coepiscopis nostris, ipsam Epistolam in stipite, videntibus cunctis, suspensam, vasto supposito foco, ad vituperium vestrum coram omnibus nationibus, quæ penes memoriam Sancti Petri multiplices inveniuntur, extremæ perditioni donabimus. Quatenus his rite patratis, discat pius quod amet, & crudelis quod timeat.* Hæc magnanimus Pontifex: qui & Imperatorem de novis Legatis missis Constantinopolim a Sede Apostolica certiorem facit. Hi fuere *Donatus* Ostiensis Episcopus, *Leo* Cardinalis tituli *S. Laurentii* Presbiter, & *Marinus* Diaconus etiam Cardinalis. Legationis consilium exponit *Nicolaus* I. Epistola XII. ad *Bardam* Cæsarem data, cui Legatos commendat. *Præsertim* inquit, *cum Legatio præfatorum nihil nisi quæ pacis sunt satagat, & tantum quæ justitia diligit, ipsa verecunde suadere contendat: scilicet ut ablato Mœcho, Ecclesia Constantinopolitana proprio reddatur Episcopo: & si quid huic restituto jam fortassis objicitur, servato ordine audiatur, & judicetur: videlicet ut inferior a potiori judicetur, & non minorum (quod contra omne fas est) sententiæ subjiciatur.* Violata est hæc Sedis Apostolicæ Legatio, & quadraginta dierum spatio in finibus Bulgarorum, & Constantinopolitanorum a Ministris Imperatoris detenti, multisque injuriis affecti Legati: qui propterea Romam reverti coacti sunt, ut testantur Anastasius Bibliothecarius *in Vita Nicolai I.* & *Nicolaus* ipse Epistola LXX. ad *Hincmarum*, & Gallicanos Episcopos.

*Nicolaus I. novos Legatos Constantinopolim mittit.*

*Violata Sedis Apostolicæ Legatio.*

Interim *Photius* Encyclicas ad Patriarchas, & Episcopos Orientis literas dedit, calumniis in Ecclesiam Romanam scatentes, quibus eos ad Synodum vocabat, in qua errores varii, quos eidem Sanctæ Ecclesiæ improperat, & quibus imbutam a Prædicatoribus, & Le-

*Photii in Romanam Ecclesiam objectiones & calumniæ.*

Legatis Romanæ Sedis Bulgarorum gentem recens conversam asserit, damnentur, ac deliberetur de remedio, quo tam grave malum cohiberi possit. Hæc vero Photianæ contra Latinos accusationis capita. *I. Quod contra Ecclesiæ Canones illicite Sabbatis jejunent. II. Quod primam Jejunii Quadragesimalis septimanam a reliquo jejunio discerpentes, in lactis potionem, casei esum, & similium ingurgitationem traxerint. III. Quod Sacerdotes legitimo conjunctos matrimonio ab uxoribus abstraxerint, eisque continentiæ jugum imposuerint. IV. Quod Chrismate inunctos per Sacerdotes denuo inungere non dubitaverint; cum se Episcopos prædicarent, & Presbyterorum Chrisma inutile quiddam, ac frustra factum comminiscerentur. V. Quod sanctum, & sacrum Symbolum, quod ab omnibus Oecumenicorum Conciliorum calculis confirmatur, & vim obtinet irresistibilem, sensibus spuriis, verbis adscititiis conati sint adulterare, Spiritum Sanctum novo more commenti, non de solo Patre, sed etiam filio procedere.*

Hæc tantum Capita habent Encyclicæ *Photii* literæ, quæ multis ratiunculis Processionem Spiritus Sancti a Patre, & filio impugnant, quas in *Panoplia* discutiemus. Contra Jejunium Sabbati Canonem quartum Apostolicum, & Trullanæ Synodi Canonem quintum, & quinquagesimum objiciunt: contra continentiam Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum, Concilii Gangrensis quartum Canonem, & Synodi Trullanæ decimum tertium proferunt. Cæterum & alia *Photium*, ejusque partiarios Schismaticos contra Romanam Ecclesiam effutiisse, ac scripturiisse docet *Nicolaus I.* Epistola LXX. ad *Hincmarum*, & Gallicanos Episcopos data. *Conantur*, inquit, *tam nostram specialiter, quam omnem generaliter, quæ lingua Latina utitur, Ecclesiam reprehendere, quod jejunamus in Sabbatis, quod Spiritum Sanctum ex Patre, filioque procedere dicamus, cum ipsi hunc tantum ex Patre procedere fateantur. Dicunt præterea nos abominari nuptias,*

*quia*

*quia Presbyteros sortiri conjuges probibemus: & insimulare tentant, quoniam eosdem Presbyteros Chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus. Quod tamen Chrisma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur. Reprehendere nihilominus moliuntur, eo, quod octo hebdomadibus ante Pascha a carnium, & septem hebdomadibus a casei, & ovorum esu, more suo non cessamus. Mentiuntur quoque nos, sicuti per alia ipsorum conscripta indicatur, Agnum in Pascha, more Judæorum, super Altare pariter cum Dominico Corpore benedicere, & offerre. Quin, & reprehendere satagunt, quia penes nos Clerici barbas suas radere non abnuunt. Et quia Diaconus, non suscepto Presbyteratus Officio, apud nos Episcopus ordinatur; cum ipsi etiam illum, quem Patriarcham suum nominant, ex Laico subito tonsuratum, ac Monachum factum, saltu ad Episcopatus apicem Imperiali favore, ac brachio provehere, ut ipsi putant, minime formidaverint.* Aliam Græcorum Schismaticorum vesaniam exaggerat in eadem Epistola *Nicolaus I.* quod scilicet, Libellum, sive Professionem fidei, a Sedis Apostolicæ Legatis exigerent, quo tam ista Capitula, quam ea tenentes anathemate damnarent: & Epistolas Canonicas *Photio*, seu *Oecumenico Patriarchæ* inscriptas. Superbum quippe, & jam diu proscriptum *Oecumenici Patriarchæ* nomen sibi Photius arrogabat, ut patet ex Epistolæ Circularis inscriptione, quam ex *Vallicellanæ* Bibliothecæ Codice Cardinalis *Baronius* exhibet ad annum Christi 863. Huic Epistolæ subjunxit *Photius* Trevirensis, & Coloniensis Episcoporum Schismaticorum literas calumniis, & injuriis in Sanctissimum Pontificem *Nicolaum* scatentes, quas malitiose vocat *Synodalem Epistolam, ab Italiæ partibus perscriptam.*

*Photius se Patriarcham OEcumenicum inscribit.*

Harum objectionum, & calumniarum fontem digito demonstrat *Nicolaus I.* in Epistola ad *Hincmarum*, odium scilicet, invidiamque *Michaelis* Imperatoris. *Odio*, inquit, *& invidia contra nos inflammati, nobis,*

*quæ infra annotabimus, quasi crimina hæreseos impingere moliuntur. Odio quidem, quia Photii adulteri & invasoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ, atque neophyti, a depositis, & anathematizatis factam promotionem non solum non approbavimus, sed & damnavimus: Fratris scilicet, & Coepiscopi nostri Ignatii ejusdem Ecclesiæ Patriarchæ dejectionem, utpote a subjectis, & ab Imperiali Potentia factam, nullo suscipientes assensu. Invidia vero, quia Regem Bulgarorum Michaelem cum gente sua, Christi fide suscepta, a Sede B. Petri institutores, & doctrinam expetivisse, audierunt. Volentes quippe, nimiumque anhelantes eosdem Bulgaros, a B. Petri subjectione subducere, suoque Imperio sub prætextu Christianæ Religionis callide subjugare, talia de Sancta Romana Ecclesia, non habente maculam, neque rugam, prædicant, quatenus illi, utpote adhuc in fide rudes, hæc audientes, nos quasi noxios, & diversarum hæreseon squalloribus respersos, vitent, declinent, atque penitus deserant.* Hanc ob causam in circulari *Photii* Epistola tam frequens Bulgarorum commemoratio. *Michaeli, & Basilio* Græcorum Imperatoribus, & iis, qui ipsis parent, istarum virus objectionum tribuit *Nicolaus I.* Sed falso rumore, quod Basilium spectat, deceptus fuit. *Basilius* enim recens creatus Imperator alieno semper a *Photio* animo fuit, semper in Ecclesiam Romanam propenso. Unde ut primum solus rerum potitus est, e medio sublato Michaele, *Photium* e Sede Patriarchica expulit, *Ignatium* restituit, Legationem ad Sedem Apostolicam destinavit.

Dum Encyclicæ *Photii* literæ ad Patriarchas, Episcoposque cæteros Orientis deferrentur, *Bardas* Cæsar *Photii* protector in suspicionem adductus, quod insidias Imperatori strueret, miserandum in modum membris dissectus est: quod illi necis genus terrifica visio Principis Apostolorum portenderat. Tunc *Photius*, qui *Bardam* antea velut vitæ præsidem colebat, immensis-

que

que præconiis efferebat, peremptum execrari cœpit, servire semper tempori, & Imperatoris studiis obsequi, paratus, ne cum *Barda* fortuna ejus rueret. Assentatione tam fæda in *Michaelis* Imperatoris animum se penitus insinuans, e re sua putavit esse negotium solemnis ab Ecclesia Rom. separationis urgere, antequam *Basilius* novus Cæsar imperaret. Multa itaque in *Nicolaum* Pontificem insusurrans obtinuit ab impio Principe, ut Synodum contra ipsum congregaret. Convocatis ergo Episcopis omnibus sibi addictis, subornatisque nebulonibus qui se Patriarcharum Orientis Legatos mentirentur, Pseudo-Synodum habuit, & exauctorationis, atque anathematis Sententiam in Romanum Pontificem iterum tulit, habita ratione objectionum, & calumniarum, quas encyclicis Literis complexus fuerat. Mox Acta nefarii Conciliabuli falsis Episcoporum, & Patritiorum longe plurimum subscriptionibus munita, *Zachariæ* Chalcedonensi, & *Theodoro* Laodiceno, partium suarum Episcopis, tradidit in Italiam perferenda. Quin etiam ad *Ludovicum II.* Imperatorem Occidentis, & *Ingelbertam* ejus uxorem literas scripsit, quibus effecturum se pollicebatur, ut Orientis etiam renuntiarentur Imperatores, operam modo suam ad expellendum e Sede Romana *Nicolaum* commodarent. Cum autem inter *Michaelem* Imperatorem, & *Basilium* recens in consortium Imperii ab ipso adscitum orta æmulatione, alterum ab altero dejiciendum suspicaretur, dubius ad quem tandem summa Imperii esset perventura, subinde apud *Michaelem* carpebat *Basilium*, & vicissim apud *Basilium* obtrectabat *Michaeli* fœdus adulator, ut uter tandem solus Imperium obtineret, illum sibi devinctissimum haberet. At non fidebat veteratori *Basilius*, quin immo strophis illius vehementer offendebatur. Hæc *Nicetas* in vita *Ignatii* commemorat. Habita est Photiana illa Pseudo-Synodus anno Christi. 867.

*Altera Photii Schismatica Synodus adversus Nicolaum I. Romanum Pontificem.*

 §. VIII.

## §. VIII.

*Nicolaus I. Gallicanos Episcopos ad succurrendum Ecclesiæ, & Græcorum objectiones refellendas adhortatur. Quod illi impigre, & luculente exequuntur.*

Cum circularis Epistolæ Photii exemplar a Rege Bulgarorum ad *Nicolaum Primum* transmissum esset, Summus Pontifex datis ad *Hincmarum* Archiepiscopum Remensem, & alios Galliarum Episcopos literis, ipsos hortatus est, ut Majores suos imitati Ecclesiæ laboranti succurrerent, & zelum, doctrinamque suam ad Græcorum Objectiones in Latinam Ecclesiam confutandas converterent. Exstat Epistola ipsius 70. ad illos data, in qua exposita Photiani Schismatis origine, & progressu; gestisque ea in causa suis, recensitis etiam Capitibus, quæ adversus Romanam Ecclesiam Græci objiciebant, hæc subdit: *In his igitur explosis cæteris curis, vos, fratres, summopere convenit desudare: & quia communia sunt hæc opprobria, quæ universali Ecclesiæ in ea duntaxat parte, quæ Latina uti dignoscitur lingua, ingerunt, communiter omnes, qui divino Sacerdotio illustrari videmini, decertare debetis, quo Paternæ Traditiones tantæ derogationi non pateant: Sed quæ pravi, quique consueta contentione tam mentientes, quam errantes maculare gestiunt, manu communis defensionis ab omni nævo blasphemiæ funditus eruantur. Ridiculum est enim, & satis abominabile dedecus, ut temporibus nostris, vel falso insimulari Sanctam Dei Ecclesiam permittatis, vel eas Traditiones, quas antiquitus a Patribus nostris suscepimus, pro libitu semper errantium infringi patiamur. Quapropter necesse est, ut eorum conatibus resistamus, & falsis illorum jaculis veritatis clypeum opponamus. Quod nos quidem, opitulante superna potentia, prout valemus, agere non ommittemus: nec, cum opportunitas cælitus datur, contra illos pro Ecclesia Christi tacebimus. Sed magnopere convenit, ut,*

*&*

*& vestra quoque Fraternitas morem secuta Majorum, concertans nobis, & unanimiter collaborans in talibus inveniatur. Siquidem nusquam Hesperiæ regiones, (ut de aliis mundi plagis interim taceamus) a Sede B. Petri in hujusmodi quæstionibus dissonantes inventæ sunt. Unde unusquisque vestrum, qui Metropolitana jura sortitus est, junctis sibi fratribus, & Coepiscopis suis, qui sub se sunt, de his diligentem curam suscipiat, & quid invidis eorum detractionibus opponi necesse sit, rimari studeat, & invenire summopere gestiat, atque inventum nobis ocyus transmittere minime parvipendat: quatenus id nos quoque adversus eorum vesaniam cum cæteris assertionibus nostris deinde mittere valeamus. Nihil enim in nobis tam visibilis, quam invisibilis hostis, sicut concordiam exhorrescit. Ideoque mutuo studia nostra provocemus, & contra communes hostes, non quasi hac, vel illac palantes, sed tanquam castrorum acies ordinati reperiamur.* Subdit se cum ipsos, tum alios Occidentis Episcopos ad Synodum convocaturum, nisi temporum perturbatio prohiberet. Tum ad injunctum opus diligenter exequendum ipsos urget vehementius his verbis: *Verumtamen si huc veniendo recusatis laborem arripere, nec jussa terreni Principis, nec ulla impedimenta sæculi pium studium vestrum a communi hac Ecclesiastici negotii meditatione, seu necessaria sollicitudine cohibere quoquomodo valeant. Alioqui vestram ad nos Fraternitatem convocandi, & pariter de hujuscemodi quæstionibus pertractandi nobis erit omnino necessitas: ut videlicet juxta pristinam consuetudinem nobiscum in idipsum apud S. Petrum convenientes, communes Ecclesiæ contumelias repellamus, qui commune Sacerdotii culmen in Christi Ecclesia, singuli secundum suorum qualitatem Privilegiorum, promeruisse dignoscitur. Præcipue cum non solum propter hujusmodi generalis Ecclesiæ negotium, sed etiam pro specialis hujus Sedis exorta causa, Prædecessores vestri una cum Prædecessoribus nostris huc soliti sunt non immerito convenire.* Tandem jubet *Hincmaro*, ut cum hanc Epistolam legerit, eam ad alios Archiepiscopos deferendam



curet, qui cum Suffraganeis suis hac de re conferant, & Sedi Apostolicæ ea, quæ repererint, suggerant.

Id impigre executus est Hincmarus, teste *Flodoardo*, libr. 3. Historiæ Remensis Cap. XVII. *Quam*, inquit, *Epistolam Hincmarus suscipiens, in Corbonaco Palatio* * *consistenti Regi Carolo, cum pluribus Episcopis relegit, & ad alios Archiepiscopos, sicut in mandato acceperat, dirigere studuit.* Idem etiam Suffraganeos suos imprimis excitavit, ut Græcorum objectis responderent, & inter filios *Odonem* Bellovacensem, ad quem *Hincmari* de hoc argumento exstat Epist. 51. Tom. II. ejus Operum edita. Respondit inter cæteros *Odo*, & librum a se compositum *Hincmaro* misit, ut testatur idem *Flodoardus lib.* 3. *cap.* 13. In eo vero quædam annotavit *Hincmarus*, quæ retractanda, & corrigenda forent. Scripsit etiam adversus easdem Græcorum Objectiones *Æneas* Episcopus Parisiensis, cujus doctissimum Opus exstat *Tom.* 7. *Spicilegii.* Eosdem convicit *Ratramnus* Corbejensis Monachus libris [illegible]V. *Adversus Opposita Græcorum*, editis *Tomo II. Spici*[illegible]. Sic Romanæ, totiusque Latinæ Ecclesiæ causam doctissimi Præsules, & Monachi Gallicani propugnarunt.

* *Corbonacum seu Corbanacum, aut Corbiniacum, vulgo Corbery, villa quondam Regia fuit pagi Laudunensis, una Leuca ab Axone portu disparata.*

Articuli, quos Græci Latinis objiciebant, quædam sunt meræ calumniæ, quod nimirum aqua pro Chrismate uterentur: quod imperando cælibatum sacris Ministris, nuptias damnarent: quod super Altare una cum Corpore Christi agnum offerent: quod Diaconi non suscepto Presbyteratu, Episcopi consecrarentur. Alii meram spectabant disciplinam, quæ salva fide, varia in Ecclesiis esse potest, scilicet, Majorum Clericorum cælibatus; casei, & lactis usus in quibusdam Ecclesiis Occidentis tempore Quadragesimæ; rasura barbæ a Clericis usurpata. Alii non modo nulli erant reprehensioni obnoxii, sed laudem merebantur, ut assertio Processionis Spiritus Sancti a Patre, & Filio, additio vocis *Filioque*, ad Symbolum: iteratio

Con-

Confirmationis a Presbyteris collatæ citra dispensationem Ecclesiæ; negatio Libelli Fidei Constantinopolitano Patriarchæ a Legatis Apostolicis. Qua de re *Nicolaus I.* Epistola 70. ad Gallicanos Episcopos scribit: *Cum enim Christi munere, propter Primatum Ecclesiæ Romanæ in B. Petro concessum, nemini sit de Sedis Apostolicæ Judicio judicare, aut illius Sententiam retractare permissum: constat nimirum, eos ab his nullum jus possidere Libellos exigendi, quos habere fas judicandi nullo jubentur Canone, nullo probantur exemplo.* Præcipuus itaque controversiæ cardo quæstio fuit de Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio, in quam præcipue incubuere, qui adversus Græcos scripserunt. Hanc etiam nos *in Panoplia* pro more expendemus.

## §. IX.

*Basilius Imperator Nicolai I. Sententiam executus, Photium e Sede Constantinopolitana expellit, Ignatium restituit: Romanum Pontificem de his certiorem facit.*

Cum *Michael* Imperator, Deo ultionem permittente, cæsus fuisset anno octingentesimo sexagesimo septimo, die vicesima quarta mensis Septembris, *Basilius* Imperator salutatus est, qui statim ad causam Ecclesiæ propugnandam animum adjecit. Postridie igitur quam elevatus, *Photium* e Sede, quam invaserat, & quam tam iniquis artibus hucusque retinuerat, deturbavit, relegavitque in Monasterium. Misit etiam protinus *Eliam* Regiæ Classis Drungarium, qui Sanctissimum Patriarcham *Ignatium* ex Insula Constantinopolim honorifice reduceret. *Photii* etiam septem sacci varia supellectili, pecuniis, libris referti, a *Basilii* Ministris intercepti sunt, & ad ipsum deportati. Inventa sunt in iis volumina duo, auro, argentoque bracteata, serico exterius velata, interius vero literis elegantibus

*Photii famosæ inscriptiones adversus Sanctum Patriarcham Ignatium.*

& venustis exarata. Primum continebat Synodi commentitiæ adversus *Ignatium* Actiones septem cum famosis picturis a Gregorio Syracusano adumbratis. Actione prima videre erat *Ignatium* raptatum, & vapulantem: ejus vero capiti inscriptum: *Diabolus.* Actione secunda, sputis fœdatus effingebatur cum hac inscriptione: *Principium peccati.* Actione tertia, de throno deturbatus exhibebatur, cum hac epigraphe: *Filius perditionis.* Actione quarta, vinculis colligatus, & exilio damnatus, cum hoc elogio: *Avaritia Simonis Magi.* Actione quinta, collari furca inclusus, cum hacce calumnia: *Qui se extollit supra omne id, quod dicitur, aut colitur Deus.* Actione sexta exprimebatur, ut jam damnatus, cum hoc titulo: *Abominatio desolationis.* In septima depictus erat, ut tractus ad suplicium, & capité mulctatus, cum hac inscriptione: *Anticbristus.* Alterum volumen complectebatur Acta Conciliabuli adversus *Nicolaum* Pontificem Maximum, quorum exemplar *Photius* ad *Ludovicum II.* Francorum Regem, & Imperatorem per *Zachariam* miserat. Hunc vero ab itinere *Basilius* revocavit, *Ignatium* ex Insula reducem post novem annos persecutionis, Sedi restituit cum summo omnium Ordinum applausu. De his exordio imperii sui pro vindicanda Ecclesiæ libertate a se gestis certiorem fecit *Nicolaum I. Basilius*, ipsum rogans, ut de illis, qui a *Photio* consecrati erant, nec non & de illis, qui ab *Ignatio* ordinati defecerant ad *Photium*, sententiam diceret. Misit illam Epistolam per illustrem virum *Basilium* Spatharium, cum quo Romam jubente Imperatore, profecti sunt, a partibus quidem *Ignatii*, Joannes Metropolita Sylei; a partibus vero *Photii* Petrus Metropolita Sardensis. *Basilii* Imperatoris ad *Nicolaum I.* Epistola inserta est Actioni III. Octavæ Synodi. *Nos, inquit, Photium gradu movimus, ut in ordinem redactus, sibi vivat; Ignatium vero injuria affectum, ut Judicio vestro variis in Epistolis declarastis, quas, qui ante nos imperaverunt, supprimere conati sunt, Solio suo restituimus.*

Ut

*Ut reliquis vero rebus finis imponatur, atque ut hæc ipsa confirmentur, Sanctitati tuæ integrum reliquimus: de lapsis, inquam, Sacerdotibus, & quicunque artibus Photii, & insidiis circumventi sunt. . . . Ut autem Sanctitati tuæ divinum, & Apostolicum Judicium de Sanctissimo Patriarcha Ignatio, & infelicissimo Photio, Photianis quoque palam fiat, ab utraque parte, atque alii quoque a nobis ipsis missi sunt Legati; ut præsentibus illis causa a te definiatur: tuique Legati una cum nostris certissimam toti Ecclesiæ fidem, facturi mittantur.*

Scripsit etiam ad *Nicolaum I.* recens restitutus *Ignatius*, ipsum de causa lapsorum in Photiano Schismate consulens. Se ab Imperatore in Sedem restitutum nuntiat in executionem Senten iæ ab ipso Pontifice latæ. *Nam divinitus evectus Imperator noster, ut fidelissimus filius vester, tuæ Sanctitatis Sententiam, & Decretum executus, utrumque (me inquam, & Photium) & pro æquitate causæ tractavit.* Quibus verbis mendacii convincitur *Zonaras* recentior Græculus, & Schismaticus, qui *Photium* a *Basilio* ejectum scripsit, quod ipsum ob cædem *Michaelis* Imperatoris a Communione removisset. Sane qui noverit *Photii* ingenium tempori serviens, qui noverit ipsum velut canem mutum factum esse sub Principatu *Michaelis*, & nedum ejus nefaria facinora, vitamque dissolutam non reprehendisse, sed ipsi perpetuo fuisse adulatum; qui noverit versatilem ejus ad omnem auram animum apud Basilium Michaeli, apud Michaelem Basilio obtrectasse, ut refert *Nicetas in vita Ignatii*, is facile sibi persuaserit *Photium* non eo fuisse Ecclesiasticæ Disciplinæ studio incensum, non ea præditum generositate, ut Principem homicidii reum ab Ecclesia repelleret. Magnificum est Epistolæ *Ignatii* exordium, & Romani Pontificis Primatum in Ecclesia universa, & in ipsos Patriarchas Orientales a Græcis agnitum ante schisma diserte probat. Sic autem habet: *Ad artus huma-*

*Refellitur Zonaras.*

*Romani Pontificis Primatum jure divino insti-*

*tutum Ecclesia Græca ante Schisma confessa est.*

*ni corporis plagis, & vulneribus saucios curandos, medendi ars magnam Medicorum copiam suppeditavit: In membris autem Christi Dei, ac Salvatoris, omnium Capitis, ac Sponsi Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, unum tantum, ac solum selectum, ac universalissimum Medicum, tuam nempe Fraternam, Paternamque Sanctitatem, supremum, & fortissimum Dei Verbum constituit, cum Petro supremo, sanctissimoque Apostolorum Vertici dixit.* „ Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo „ Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt „ adversus eam. *Et rursum:* Tibi dabo claves Regni „ cælorum: & quod ligaveris super terram, ligatum „ erit in cœlis; & quod solveris, erit solutum. *Hujuscemodi enim beatas voces non soli Apostolorum Principi privata quadam sorte transcripsit, & assignavit, sed per ipsum ad omnes Romanæ Sedis Pontifices illi successuros transmisit. Hinc retro, olimque semper cum hæreses, & scelera pullularent, noxias illas herbas, & zizania Sedis Apostolicæ vestræ Successores extirparunt: & nunc tua Beatitudo digne tractans acceptam a Christo potestatem, veritatis hostes fudit, & latronum more in Christi ovile per fenestram ascendentem. . . medica manu sacrosanctæ, & Apostolicæ Auctoritatis a communi Ecclesiæ corpore præcidisti; & nos ab illo per scelus oppressos, ut amantissimus frater recte innocentes pronunciasti, nostræque nos Ecclesiæ per literas restituisti.* Exstat pariter hæc *Ignatii* Epistola Actione III. Synodi Octavæ.

*Petrus* Sardensis Episcopus, qui *Photii* causam acturus, Romam cum Imperatoris Oratore, & *Ignatii* Legato navigabat, novam licet navim conscendisset, naufragio misere sepultus est: alii Legati ad portum incolumes, servante Deo, appulere. Migraverat ad vitam immortalem Sanctissimus Pontifex *Nicolaus I.* cui *Hadrianus II.* successerat. Is statim, atque *Basilii* Imperatoris, & *Ignatii* litteras legit, magna perfusus est lætitia, ob res Ecclesiæ Constantinopoli restitutas:

De-

Decessoris sui, congregata Synodo, Judicium confirmavit, impia *Photii* volumina flammis devovit, jussitque cremari pariter illorum exemplaria, si quæ in Oriente invenirentur. De hac *Photii* ejectione, & Ignatii restitutione legendi *Nicetas* in vita Ignatii, & *Anastasius Bibliothecarius* in præfatione VIII. Synodi. Legendus idem Bibliothecarius in Vita *Hadriani II.* ubi refert, librum *Photii* a Metropolita Legato exhibitum fuisse Summo Pontifici, & in terram projectum cum hoc anathemate: *Tu maledictus Constantinopoli, sis Romæ iterum maledictus. Te Minister diaboli Photius novus Simon mendacii compillator aptavit. Te Minister Christi Nicolaus novus Petrus veritatis amator attrivit.* Observat secundo *Basilii* Imperatoris subscriptionem huic virulento libro a *Photio* additam fuisse, quod asseruit coram Summo Pontifice illustris Spatharius falsam hujusmodi subscriptionem ex eo comprobans, quod Imperator *Ignatium* in Sedem restituisset, Refert tertio, cum eo tempore, quo nefarius Codex urebatur, imber vehemens decideret, ad pluviam, quasi ad olei guttas flammam convaluisse: quo miraculo omnes cum Latini, tum Græci stupefacti, Deo laudem dixere; *Nicolai* Papæ memoriæ bene precati sunt, *Hadrianum* dignissimum ejus Successorem præconiis extulere.

Tandem remeantibus Constantinopolim Legatis, *Hadrianus* Pontifex ad *Basilium* Imperatorem de *Ignatii* restitutione gratulatorias literas dedit; ipsi *Theognostum* Archimandritam commendavit, qui legatione pro *Ignatio* functus apud *Nicolaum* Papam, solido septennio Romæ hospes, & peregrinus manserat, ut *Michaelis* Imperatoris, *Bardæ*, & *Photii* persecutionem fugeret. Imperatorem hortatus est ad perseverantiam: ipsique spopondit opem, & se nunquam a Decretis sanctæ memoriæ Papæ *Nicolai* de *Photii* dejectione, & *Ignatii* restitutione discessurum. Dedit etiam *Hadrianus II.* Literas ad *Ignatium* ejusdem argumenti. Extant Actione VII. Synodi Octavæ.

§. X.

## §. X.

### *Synodus Romana Hadriani II. contra Photium.*

Quoniam meminimus *Synodi* ab *Hadriano II.* Pontifice Maximo Romæ celebratæ post adventum Legatorum *Basilii* Imperatoris, & *Ignatii* Patriarchæ, anno scilicet octingentesimo, sexagesimo octavo, paulo enucleatius ejus Acta exponenda sunt. Post tres Allocutiones Pontificis Maximi ad Synodum, post supplicationem Patrum pro damnatione *Photii*,* & reconciliatione lapsorum, *Hadrianus II.* Sententiam tulit quinque Capita continentem. Primo omnia *Photii*, & *Michaelis* Acta contra Romanam Ecclesiam, & maxime Latrocinalem *Photii* Synodum, nuper, favente *Michaele*, celebratam contra *Nicolaum I.* decernit aboleri, non secus, ac acta Ephesini Latrocinii flammisque, & diris omnibus devoveri. Secundo, idem statuit de his, quæ contra *Ignatium* Patriarcham ab eodem imperatore, & *Photio* scripta, actaque sunt. III. *Photium* rursus anathemate percellit. Verumtamen si viva voce, suoque scripto, & manu promittat: se omnia a *Nicolao I.* & ipso *Hadriano* Summis Pontificibus decreta servaturum, vel subiturum, dictique Conciliabuli Acta damnaturum, ipsi Communio Laica non negatur. IV. Lapsos, qui nimirum Photianæ Pseudo-Synodo consensere, vel subscripsere, si Decretis *Nicolai I.* morem gesserint, & ad Communionem *Ignatii* Patriarchæ redierint, & acta Conciliabuli flammis tradiderint, in Communionem recipit: sin minus eos Communione privat. *Basilium vero* Imperatorem, cujus nomen hujusmodi Actis falso insertum, probatum est, ab omni suspicione mala prorsus alienum pronuntiavit, & in albo Piorum Augustorum conscribendum. V. Omnes, qui Acta Photiani Conciliabuli absconderint, vel propugnaverint, & non potius igni devoverint, si sint Clerici, e gradu suo dejicit; si laici, subjicit anathemati. Subscripsit hujus Synodi Actis Summus Pontifex hac formu-

mula: *Hadrianus Episcopus Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ his Sententiis a nobis promulgatis manu propria subscripsi.* Deinde Episcopi viginti novem, Presbyteri novem Romanæ Ecclesiæ, Diaconi quinque pariter subscripserunt. Inserta sunt istius Concilii Acta VII. Actioni Concilii, Oecumenici.

## §. XI.

### *Hadrianus II. Pontifex Maximus Octavam Synodum Oecumenicam celebrari jussit, quam convocavit Basilius Augustus.*

Jussu *Hadriani II.* Pontificis Maximi celebratam fuisse Synodum VIII. constat ex illius ad *Basilium* Imperatorem Epistola, quæ inserta est Actioni Primæ. *Volumus autem,* inquit, *per vestræ pietatis industriam Constantinopoli numerosum celebrari Concilium; cui nostri quoque Legati præsidentes, delictorum, hominumque discrimine perspecto, statim cuncta impii Conciliabuli exemplaria, ab iis, qui illa retinent, ablata, ignibus concremanda tradant.*

Idem probant verba *Anastasii Bibliothecarii* in Præfatione VIII. Synodi ad Hadrianum II. *Missisque,* inquit, *cum Auctoritate Apostolica Vicariis, & Epistolis Decretalibus, jussisti fieri Constantinopoli Synodum, &c.*

Quod vero *Basilius* Imperator Synodum convocaverit, testatur ipsa Synodus Actione I. sic de Basilio loquens: *Qui Universalem Synodum congregans, quæ visa sunt Spiritui Sancto, pie peregit.* Testatur & S. *Ignatius* in acclamatione sua ad Synodum, Actione VIII. *Quoniam vero,* inquit, *universali paci consulens piissimus & prudentissimus Imperator noster, multam habuit curam & solicitudinem colligendi Sanctissimos Vicarios ex cunctis aliis Patriarchalibus Sedibus, & Synodum Universalem celebrandi ad exhibitionem, & satisfactionem*

nem

*nem perfectam, veritate sibi cooperante, Omnipotentis providentia in finem prosperum adduxit consilium suum, &c.*

Id testatur Metrophanes Actione VI. sic Imperatorem allocutus: *Haec itaque sancta & Universalis Synodus arca salutis est . . . . Et tu es, amice Christi Domine, Noe justus inventus in conspectu Dei, in generatione tua, quia talem arcam fabricasti . . . Haec sancta & universalis Synodus est benignus & bonus puteus, quem fodisti tu, Deo amantissime, Abram servus & amicus Dei excelsi.*

Id rursus testatur ipsa Synodus in Definitione, quae Actione X. edita est. *Sancta, magna, & universalis Synodus, quae per divinam voluntatem, & gratiam, & sanctionem amicorum Christi, a Deo confirmatorum Imperatorum nostrorum Basilii, & Constantini congregata est in hac a Deo conservanda Regia Urbe, in famosissimo templo Sanctae, ac magni nominis Sophiae, definivit subter annexa.* Et infra rursus de Basilio Augusto: *Vicarios etiam ex omnibus Patriarchalibus Thronis, nec non & omnem Episcoporum catalogum, qui sub potestate sua degit, in id ipsum collegit: qui videlicet convenientes, magnam hanc & universalem celebravimus Synodum.*

Id testatur *Basilius* ipse in Allocutione ad VIII. Synodum. *Non modicum,* inquit, *certamen certavimus, neque labori cuilibet cessimus, ut & ipsi nobiscum nostis, ad congregandum eos, qui a Romana & ab Orientalibus Patriarchalibus Sedibus convenerunt.* Id ipsum afferunt *Cedrenus in Compendio Historiarum, & Zonaras Lib. 3. Annalium.*

§. XII.

## §. XII.

### *Hadrianus II. Octavæ Synodo præfuit per Legatos.*

*Hadrianus II.* Pontifex Maximus Anno octingentesimo sexagesimo nono Legatos misit Constantinopolim, *Donatum* Episcopum Ostiensem, *Stephanum* Episcopum Nepesinum, & *Marinum* Diaconum, cum Epistola ad *Basilium* Imperatorem, qua per ejus industriam numerosum Constantinopoli celebrari Concilium jubebat, cui sui Legati præsiderent. Illis vero dedit in mandatis. *Ut omne scandalum Ecclesiæ Constantinopolitanæ solerter sopirent, consecratisque a Methodio, & Ignatio sub satisfactione Libelli, quem de scrinio susceperant, proprias Ecclesias redderent. Photianis vero sub eadem ac districtiori satisfactione communicarent quidem, sed Sacerdotum Judicium usque ad Sedis Apostolicæ Sententiam, manente Sanctissimi Papæ Nicolai Judicio, protelarent.* Ita refert *Vita Hadriani II.*

Legatos honorificentissime excepit *Basilius Augustus*, & Romani Pontificis literas reverenter exosculatus, ipsos die sequenti his inter alia verbis allocutus est: *Nos cum omnibus Orientalibus Patriarchis, Metropolitis, atque Episcopis censuram Sanctæ Matris nostræ Romanæ Ecclesiæ per biennium præstolantes, propter Deum petimus, ut Dei negotium viriliter peragatur, & tandem aliquando auctoritate vestri Sacri Collegii, tam pestiferæ Photianæ tergiversationis scandala propellantur, quatenus unitas & tranquillitas optatæ diutius, juxta decretum Sanctissimi Papæ Nicolai restaurentur.* Legati Sanctæ Sedis Apostolicæ responderunt: *Et nos ideo venimus; ideo missi sumus: sed neminem Orientalium vestrorum unquam in nostram Synodum suscipere possumus, nisi oblato Libello, cujus formam de scrinio Sanctæ Sedis Apostolicæ sumpsimus, nobis fuerit satisfactum.* Ita refert Bibliothecarius in vita *Hadriani II.*

Præ-

Præfuisse Synodo *Hadriani II.* Legatos, ex Actis ipsius compertum est. Sic enim incipit Actio 1. *Convenientibus Donato & Stephano Episcopis, & Marino Diacono, locum tenentibus Hadriani Archiepiscopo Senioris Romæ, & Ignatio Archiepiscopo Constantinopoleos Novæ Romæ, & Vicariis Orientis Thoma Metropolita Tyri locum tenente Sedis Antiochiæ, & Syncello locum tenente Theodosii Archiepiscopi Sedis Hierosolymorum.* Et post alia: *Sanctissimi Vicarii Senioris Romæ dixerunt: Ergo & omnem dubitationem emittamus e cordibus vestris, & verbis, & operibus certificemus vos, quia secundum ea, quæ mandata, & jussa sunt nobis, disponemus.* Ergo *habemus Epistolas ad Imperatorem, & Patriarcham; & si jubetis, legantur.* Legati omnium primi loquuntur, ut mos est Præsidum. Et actione VII. *Donato Episcopo Ostiensi,* & Stephano Episcopo *Nepesino, & Marino Diacono S. Ecclesiæ Rom. locum tenentibus Hadriani Papæ, &c.* Et actione IX. *Congregatis Papæ Hadriani Legatis, & Patriarcha Ignatio, cæterisque Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum Vicariis, & sacro Senatu.* Hadriani Papæ Legati nominantur primi, ut Præsides nominari solent. Denique Actione X. Hadriani Papæ Legati omnium Episcoporum primi subscribunt.

Nec movere nos debet quod Imperatores *Basilius, Constantinus,* & Leo *Præsidentes* semel, atque iterum dicantur: semel Actione VIII. *Præsidente eodem piissimo, & amico Christi Basilio in dextera parte magni nominis templi Ecclesiæ magnæ, & Sancta, & universali Synodo.* Iterum actione X. *Propositis venerandæ Crucis lignis, Sanctisque Evangeliis ad dexteram Sanctæ Sophiæ partem templi, præsidentibus Christi dilectis Imperatoribus, Legatis, &c.* Hæc, inquam, movere nos non debent. Præfuisse enim dicitur Imperator, non auctoritate, sed solo sessionis honore, quem ipsi detulit Synodus, ut Ecclesiæ Protectori, non ut controversiarum fidei, vel causarum Ecclesiasticarum Judici.

dici. Hujusmodi namque Judicium nec Laico cuivis, nec sibi ipsi convenire Imperator professus est in allocutione Synodi. „ Noverit enim virtutibus plena
„ perfectio vestra, quia si notum fuerit nobis, quod
„ hæresis quæcunque in Provincia cujuscunque ve-
„ strum latitans, non per assiduam doctrinam vestram
„ radicitus evellatur, & omnes ad orthodoxam Fi-
„ dem manuducantur, canonice hujusmodi Episcopus
„ a proprio Patriarcha condemnabitur, &c. De vobis
„ autem Laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui
„ absolute conversamini, quid amplius dicam, non
„ habeo, quam quia nullo modo vobis licet de Ec-
„ clesiasticis causis sermonem movere, neque peni-
„ tus resistere integritati Ecclesiæ & universali Sy-
„ nodo adversari. Hoc enim investigare, & quære-
„ re Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est,
„ qui regiminis Officium sortiti sunt, qui sanctifi-
„ candi, qui ligandi, & solvendi potestatem habent;
„ qui Ecclesiasticas, & cœlestes adepti sunt cla-
„ ves: non nostrum, qui pasci debemus, qui sancti-
„ ficari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus.
„ Quantæcunque enim religionis, & sapientiæ Lai-
„ cus existat, vel etiamsi universa virtute interius
„ polleat, donec Laicus est, ovis vocari non desi-
„ net. Rursusque Episcopus, licet omni religionis
„ virtute destituatur, tamen Pastor est, quamdiu in
„ Pontificatus munere versatur. Quæ ergo nobis ra-
„ tio est in ordine ovium constitutis Pastores verbo-
„ rum subtilitate discutiendi? Oportet nos cum timo-
„ re, & fide sincera hos adire, & a facie eorum vere-
„ ri, cum sint Ministri Domini omnipotentis, & ni-
„ hil amplius, quam ea, quæ sunt nostri ordinis re-
„ quirere.

Nec obstat etiam Præsidentiæ *Hadriani II.* per suos Legatos, quod ante acclamatum sit Imperatoribus, quam Romanis Pontificibus. Is enim honor, & grati animi significatio a Patribus exhibita Religiosissimo

Principi, cui tot nominibus obstricta erat Ecclesia Romana, Constantinopolitana universa, auctoritatem significat nullam Imperatoris in causis Ecclesiasticis, & in moderamine Synodi, nisi in iis, quæ ordinem & politiam externam, ac executionem Decretorum Ecclesiæ spectant. Alioqui & Imperatrix præfuisset Synodo, & judicandi Auctoritatem in causis Ecclesiasticis etiam habuisset: siquidem & ipsi ante Pontifices acclamatum est. Actione IX. *Multos annos Imperatorum, Basilii, Constantini, & Leonis magnorum Principum, & Imperatorum, multos annos. Nicolai Beatissimi Papæ Romani æterna memoria. Hadriani Beatissimi Papæ Romani æterna memoria.* Rursus Actione 10. *Multos annos Imperatorum Basilii, Constantini, & Leonis. Multos annos Basilii Orthodoxi. Amatorem veritatis, Domine, conserva. Basilio Novo Constantino, æterna memoria. Novo Justiniano, æterna memoria. Eudoxiæ piissimæ Augustæ, multos annos. Deus conservet Imperium vestrum. Per vos universalis Ecclesia pacem obtinuit.*

Et quibusdam interjectis: *Germani, Tharasii, Nicephori, & Methodii venerabilium Patriarcharum, æterna memoria. Nicolai Papæ Senioris Romæ æterna memoria. Hadriani Beatissimi Papæ Romani multos annos.*

Denique quod Imperatores rogati sint a Legatis Romani Pontificis: ut ante omnes subscriberent, non est argumentum auctoritatis, quæ penes Principes esset ulla ad præsidendum Concilio, sed merum testimonium reverentiæ, & urbanitatis Legatorum erga illorum Majestatem, a quibus Sedes Apostolica, & ipsi tantis honoribus affecti fuerant, & quibus tantis nominibus obstricta erat Ecclesia. Idque sic accepit Imperator, non ut debitum sibi officium. Nec delatum ultro sibi honorem ceu jure sibi competens habuit, sed ut Ecclesiæ beneficium: Invicem enim certabant sive Roma-

ma-

manus Pontifex, & ejus Legati, five Synodus tota, & Imperator, uter alterum honore profequeretur amplio-ri. Id ex Actione X. compertum eft, in qua rei ge-ftæ ordo fic exponitur: *Sanctiſſimi Vicarii Senioris Romæ dixerunt: Quoniam Providentia Dei in proſperum finem omnia Eccleſiæ devenerunt negotia, oportet nos & in ſcriptis manu propria hæc roborare, ſecundum Synodicam conſequentiam. Unde volumus, ut ſubſcribant primitus Chriſti amatores Imperatores, & deinde ſecundum ordinem ſancta hæc Synodus. Baſilius piiſſimus, & Chriſti amicus Imperator dixit. Tranquilliſſimum Imperium noſtrum ſecutum præcedentes, & Juſtiſſimos Imperatores, Conſtantinum videlicet Magnum, & Theodoſium, & Marcianum, ac cæteros, vult ſubſcribere poſt ſubſcriptionem omnium Sanctiſſimorum Vicariorum: edocti enim ſumus a Chriſto vero Deo noſtro habere exaltantem humilitatem.* Ita omnino factum. Primi enim omnium fubfcripferunt quinque exemplaribus *Donatus* Epifcopus Oftienfis, & cæteri Legati Romanæ Sedis; deinde Vicarii Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, Hierofolymitani, & *Ignatius* Conftantinopolitanus. Secundum hos *Baſilius*, *Conſtantinus*, *Leo* Imperatores, qui cum manu fua quinque libris venerandæ crucis fignum impreffiffent, fuaque nomina fubfcripfiffent, quod reliquum erat, *Chriſtophorus* Proto-a Secretis, & Præfectus Concilii fubfcripfit. Deinceps ordine omnes Epifcopi, pro fuo quisque gradu, & dignitate quinque libris, feu exemplaribus Synodi fubfcripferunt, ut Sedes quælibet Patriarchica fuum exemplar pro more haberet.

## §. XIII.

### *Quid geſtum Actione I. Synodi Octavæ?*

Inchoata eft Oecumenica Synodus Octava anno Chrifti octingentefimo fexagefimo nono, *Hadriani II.* Pontificis Maximi anno fecundo, Imperatoris *Baſilii* an-



no

no tertio, die quinta Octobris, feria quarta, Conſtantinopoli; unde & Conſtantinopolitana quarta nuncupatur, in celeberrimo Sanctæ Sophiæ templo, conſidentibus ibi Sedis Apoſtolicæ Legatis, *Ignatio* Conſtantinopolitano Patriarcha, & Vicariis Sedium Orientalium: præſentibus Illuſtriſſimis Patritiis, quos Imperator adeſſe juſſerat, ut Concilii ordinem moderarentur, omniaque ſecundum Juris regulas fieri curarent: Sancta Cruce, & libro Evangeliorum in Throno pro more collocatis, admiſſi ſunt ad Synodum Epiſcopi duodecim, qui ab *Ignatii*, & Sedis Apoſtolicæ partibus ſteterant ſoli conſtanter, & pro juſtitia invicto animo certaverant; dicentibus Romanæ Sedis Legatis; *Sedeant ſecundum ordinem ſuum, quia digni ſunt: & beatos, & ter beatos hos æſtimamus.* Deinde *Epanagnoſticon*, id eſt, ſcriptum coram Synodo legendum, quod ab Imperatore miſſum erat, a *Babane* Patritio, annuentibus Legatis Apoſtolicis, perlectum eſt, ac ſummo Synodi totius applauſu exceptum. Imperatoris enim pietatem, ac ſtudium pro Eccleſiæ pace teſtabatur; atque Epiſcopos hortabatur univerſos, ut ſemotis privatis affectibus, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſtatum componerent. Tertio rogati ſunt Sedis Apoſtolicæ Legati, ut Legationis tenorem ſuæ, ac ejus, a quo miſſi erant, mandatum exhiberent. Id Epiſcoporum, ac Senatus nomine poſtulavit *Babanes* Patritius. Res viſa Legatis inſolens, *Hoc nos*, inquiebant, *usque nunc non invenimus, ut Vicarii Senioris Romæ a quolibet examinentur, utrum talem exiſtimationem habeant.* Reſpondit *Babanes*: In injuriam, & contemptum Sedis Apoſtolicæ hanc non vergere petitionem: ſed ob *Rodoaldum*, & *Zachariam* id exigi, qui *Nicolai I.* mandata transgreſſi fuerant. Tum Legati Epiſtolam *Hadriani II.* Pontificis Maximi ad Imperatorem protulere. *Præ manibus* (dixerunt illi) *habemus epiſtolam, quam transmiſit Imperatori Sanctiſſimus Papa Hadrianus, qui etiam poteſtatem nobis dedit, ut ſecundum quod Beatiſſimus Papa Nicolaus diſpoſuit de Sancta Conſtantinopolitanorum*

*rum*

*rum Eccleſia, ita ordinemus, ut moderemur, atque firmemus, ut nullus adverſus eam pugnare poſſit: &, ut, quæ ipſe Sanctiſſimus Hadrianus edidit, confirmemus. Cujus enim ſuſcepit honorem, ſuſcepit etiam & laborem; quia propter hoc Deus poſuit eum in Eccleſia ſua. Ecce Epiſtola Sanctiſſimi Papæ Hadriani. Si vultis, legatur.* Lecta eſt jubente Synodo. Mox eorum, qui Patriarcharum Orientis perſonam gerebant, diſcuſſa Legatio eſt, omnibusque perſpectum fuit, *Thomam* Tyri Metropolitam, qui Antiocheni Patriarchæ locum tenebat, nullis mandatis, aut commendatitiis litteris opus habere. Quia vacante Sede Antiochena, jus erat Metropolitæ Tyri Patriarchæ vices gerere. *Elias* vero Presbyter, & Syncellus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, litteras protulit *Theodoſii* Hieroſolymorum Patriarchæ Legationem continentes, & ad *Ignatium* Conſtantinopolitanum Patriarcham directas, cum podere, ſuperhumerali, & mitra *S. Jacobi* Apoſtoli, Fratris Domini, & ſacro vaſe, & cratere argenteo cum imaginibus expreſſo. Venire autem ſe non potuiſſe, Patriarcha ſignificabat, quod ſub Saracenorum jugo Palæſtina gemeret.

*Libelli, ſeu Formulæ a ſe miſſæ ſubſcriptionem exigit Summus Pontifex ab Epiſcopis in Synodo Oecumenica congregatis.*

Poſt hæc, jubentibus Legatis Apoſtolicis lectus eſt Libellus, cui ſubſcribere deberent univerſi Epiſcopi, Sacerdotes, Clerici, & Monachi: quo nimirum cunctas primum hæreſes execrati, & inter alias, Iconomachiam, Anathema *Photio* dicere debebant, donec Sedis Apoſtolicæ Decretis paruiſſet. Actaque Conciliabuli contra Sedis Apoſtolicæ reverentiam congregati eodem anathemate percellere: ſe denique amplecti Synodos a *Nicolao* Pontifice Maximo, & *Hadriano* ejus Succeſſore in cauſa *Photii*, & *Ignatii* Romæ celebratas, profiteri debebant. Magnificum ſane Primatus Romani Pontificis argumentum, quod Libellum, ſeu Formulam ad Synodum Oecumenicam miſerit, neceſſario ab omnibus ordinis Eccleſiaſtici viris ſubſcribendam, qui Communionis Sedis Apoſtolicæ participes

esse vellent. Observatione digna sunt hæc verba: *Quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia, dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: Quia in Sede Apostolica immaculata est semper Catholica servata Religio, & sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide, atque doctrina separari minime cupientes; & Patrum, & præcipue Sanctæ Sedis Apostolicæ Præsulum sequentes in omnibus Constituta, anathematizamus omnes hæreses, simul cum Iconomachis. Anathematizamus etiam Photium, &c.*

*Catholica Religio in Sede Apostolica semper immaculata servata est.*

Observare etiam operæ pretium est illa verba: *Sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & observantes ejus omnia Constituta, speramus, ut in una Communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra, & vera Christianæ Religionis soliditas. Promittentes etiam sequestratos a Communione Ecclesiæ Catholicæ, id est, non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non esse recitanda Mysteria.* Vides idem esse sequestratum ab Ecclesiæ Catholicæ Communione, & non esse consentientem Sedi Apostolicæ. Libello subscribere debebant Episcopi cum testibus, ac subscriptionem suam Legatis Apostolicis tradere. Perlectum Libellum Synodus approbavit universa.

Non est prætermittendum, quod de hujusce Libelli subscriptionibus *Anastasius Bibliothecarius* commemorat in Notis ad octavam Synodum: Postquam omnes Episcopi, & Clerici subscripsere, quosdam pœnituisse Chirographi, & Imperatori, atque *Ignatio* Patriarchæ clam insusurrasse: *Non bene factum fuisse, quod Ecclesiam Constantinopolitanam tanta subjectione Romanæ subdi Ecclesiæ permiserint; ita, ut hanc ei tanquam Domino ancillam tradiderint.* His commotus Imperator, jussit iis, quos Legatis Apostolicis ad obsequia destinaverat, ut ipsis Chirographa suffurarentur. Fraudem

dem ubi animadverterunt Legati, de ea graviter expostularunt cum Principe: qui illorum querimoniis victus, omnia Chirographa restituit, his eos verbis compellans: *Ego quidem ut Magistram Ecclesiasticorum negotiorum Sedem Apostolicam per meos Legatos adii; & ideo vestram præsentiam præstolatus sum, ut vestro Decreto, & solertia nostra, Ecclesia nostra remedia sanitatis perciperet; & nos non nostris motibus, sed vestræ sententiæ pareremus. Ergo Chirographa, quæ a nostris Sacerdotibus, & cunctis Clericis salubriter exegistis, accipite, & Spirituali Patri nostro Sanctissimo Papæ repræsentate: ita, ut si quis eorum per abrupta vitiorum solito incedere more tentaverit, his quodammodo habenis ab eo refrænetur, & ad rectum justitiæ tramitem revocetur.* Quanto Ecclesiæ bono ab Episcopis subscriptiones in similibus causis exigat Romanus Pontifex, inde liquet. Sed ea, quæ Actione I. Synodi Oecumenicæ Octavæ gesta sunt, commemorare pergamus.

*Sedes Apostolica Ecclesiasticorum negotiorum Magistra.*

Approbato Sedis Apostolicæ Libello, lecta est definitio Legatorum Antiochenæ, & Hierosolymitanæ Sedis, quam ante adventum Legatorum Sedis Apostolicæ ediderant, cum anno solido illic morati, discessionem pararent. Quæ definitio id unum sanciebat, ut *Nicolai* Pontificis Maximi Decretis in omnibus pareretur quoad *Photii* depositionem, restitutionem *Ignatii*, *Gregorii Syracusani* exauctorationem confirmatam, susceptionem Ordinatorum ab *Ignatio*, degradationem Consecratorum a *Photio*. Definitione perlecta Synodus has in voces erupit: *Ecce audivimus Sententiam Orientalium, sequentem, & faventem judicio Sanctissimi Papæ Nicolai, & convenimus in eam.* Tum *Babanes* Patritius quæsivit a Legatis Apostolicis, qua ratione *Nicolaus I.* Photium absentem damnasset? Rationem omnium illi reddidere, gesta a prima *Photii* expulsione ad ultimum usque Concilium Romæ ab *Hadriano II.* celebratum recensentes, probantesque il-

lum per litteras, & Apocrisiarios suos præsentem, rite, & secundum Canones fuisse damnatum.

Sciscitatus est idem Patritius a Legatis Sedium Orientalium, cur venientes Constantinopolim *Photium* non convenissent, sed ab illius Communione statim se segregassent. Responderunt se ita egisse, quod a Romano Pontifice damnatus, & a nulla Sedium Orientalium receptus esset. *Patriarchalia Capita*, inquiebant, *in mundo posuit Spiritus Sanctus, ut in Ecclesia Dei pullulantia scandala per ea examinentur, & pacifica constitutio in ipsa interveniat. Igitur cum præcedens, & præsidens Sedes Senioris Romæ nequaquam receperit Photium, nec etiam Orientis tres Throni, videlicet Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum, non erat opus vocare illum ad examen, vel rejudicationem. Hujusmodi enim Actiones de illis, qui recepti sunt in Ecclesiis Dei, & cunctis Sedibus, solitæ sunt fieri. De iis autem, qui nunquam in seniori Roma, & reliquis Sedibus recepti sunt, nullum omnino debet iteratum haberi Judicium.*

## §. XIV.

### *Quid gestum Actione II.*

Nonis Octobris ejusdem anni habita est altera Sessio Synodi. *Paulus* Ecclesiæ Constantinopolitanæ Chartophylax renuntiavit Patribus, stare præ foribus quamplurimos Episcopos, qui olim vel a *S. Methodio*, vel ab *Ignatio* ordinati ad *Photium* defecerant. Jussi sunt ingredi, lectusque est oblatus ab his Libellus, quo veniam a Synodo, & Pœnitentiam deprecabantur, culpam omnem suam in vexationes a *Photio* sibi illatas refundentes. Legati Apostolici dixere: *Suscipimus vos secundum Præceptionem Sanctissimi Papæ nostri Hadriani, propter Confessionem Libelli Pœnitentiæ vestræ.* Lapsi vero Episcopi dixere: *Et nos adoramus*

*camus vos*, & *suscipimus vos Judices*, & *Judicium vestrum, tanquam ex persona Filii Dei, habemus.* Rogati deinde, vellent ne subscribere Libello directo a Romana sede, id præstitere perlubenter, & absque restrictione prorsus ulla: positumque super Sancta Evangelia, & Sanctam Crucem, ut eo ritu solemnior ipsorum subscriptio redderetur, *Ignatio* Patriarchæ suo tradiderunt, a quo sacræ dignitatis receptis insignibus, in suo ordine sedere singuli jussi fuere. Idem erga Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos Pœnitentes observatum. Post hæc, lectum est *Epitimium*, ita vocabant pœnam Ecclesiasticam Lapsis impositam, certum scilicet abstinentiæ modum, numerumque precum singulis diebus usque ad Natale Christi fundendarum: ante quod tempus suorum Ordinum obire Ministeria ipsis vetitum est. Observatione dignum, quod lapsi Præsules misericordiam a Legatis Apostolicis, & a Sancta Synodo rogarunt *Per intercessionem Sanctæ, ac Intemeratæ Dei Genitricis Mariæ*, & *Sanctorum Apostolorum*, & *Beatissimi ac Sanctissimi Papæ Nicolai.* Sic defunctum cum opinione Sanctitatis Pontificem palam invocant. Observandum secundo *Ignatium* Episcopis, cæterisque Clericis lapsis, & pœnitentibus Ordinum insignia non reddidisse, nisi ut delegatum a Sedis Apostolicæ Vicariis. Ut enim scribit Nicetas in Vita Ignatii: *Patriarchæ Ignatio in Synodo non erat auctoritas agendi, quæ vellet. Romanis enim, pro antiqua Ecclesiastica Traditione, judicandi potestatem permittebat.*

## §. XV.

### *Quid gestum actione III.*

V. Idus Octobris habita est actio tertia: in qua Patres conveniri jusserunt *Theodulum* Metropolitam Ancyranum, & *Nicephorum* Metropolitam Nicænum, qui a *Methodio*, vel *Ignatio* ordinati erant, ut invitarentur ad Synodum, quæ ipsis misericordiæ visce-

*A Synodo rejiciuntur Episcopi, qui Libello ab Apostolica Se-*

de transmisso subscribere nolunt.

ra pandebat, modo Libello a Romana Sede transmisso subscriberent: Renuerunt illi pertinaciter, dixeruntque: *De proposita subscriptione rationem reddimus Sanctitati vestræ, quia propter rationabiles, & irrationabiles subscriptiones, quæ ante factæ sunt, gravati, definimus nos, & vinculum imposuimus: non ulterius subscribere, præter id, quod subscripsimus, & professi sumus, Fidei nostræ Symbolum, quod jacet in Cartophylacio venerabilis Patriarchæ, tempore Consecrationis nostræ.* Cum itaque subscribere contumaciter renuerent, a Synodo rejecti sunt.

Jubentibus deinde Sedis Apostolicæ Legatis, recensita est Epistola *Basilii* Imperatoris ad *Nicolaum I.* tum Epistola *Ignatii* ad Hadrianum II. * Epistola denique Hadriani II. ad *Ignatium:* quam *canonice scriptam, & plenam justitiæ*, Synodus dixit. In eadem Actione, cum deprehensum fuisset, *Theodorum* Cariæ Metropolitam, qui post Libelli subscriptionem a Synodo susceptus fuerat, ex iis fuisse, qui in Latrocinali Synodo *Photii* depositioni, & anathemati Sanctissimi Pontificis *Nicolai* subscripserant, illius caussa Romani Pontificis Judicio reservata est. Id ex *Anastasii Bibliothecarii* Notis discimus.

## §. XVI.

### *Quid gestum Actione IV.*

III. Idus Octobris, rursus Patres ad sacrum consessum convenere. Intromissi sunt in Synodi conspectum *Zacharias*, atque *Theophilus* Pseudo-Episcopi a partibus *Photii*, qui ejus nomine ad *Nicolaum I.* Pontificem Maximum Legatione quondam functi erant. Petiere Illustrissimi Patritii, ut illi audirentur, & scriptis profiteri cogerentur, an sanctam, & universalem Synodum susciperent, ejusque subjicerent sese auctoritati, ac Judicio. Repugnarunt Legati, contendentes

Ro-

Romani Sententiam Pontificis retractari non posse; nec rursus audiendos, qui jam damnati essent. *Nobis*, inquiebant, *non licet rescindere judicium sacrorum Romanorum Pontificum: hoc enim contrarium est Canonicis Institutis.*

Consensere tamen ut admitterentur, Synodica Decreta, & Sententiam *Nicolai I.* audituri. Admissi sunt itaque Schismatici illi Antistites, & ultimo loco stare jussi. Qui, cum ad Libelli subscriptionem urgerentur, se, Photiumque suum a Nicolao I. receptos, impudenter asseruere. Legati reclamarunt Apostolici, eosque, ut mendacii convincerent, varias ejusdem Pontificis litteras legi jusserunt. Lecta itaque est Epistola *Nicolai I.* ad *Michaelem* Imperatorem dudum missa, quæ his verbis incipit: *Principatum divinæ potestatis.* Lecta est ejusdem Epistola altera ad eundem Imperatorem, quæ sic incipit: *Serenissimi Imperii vestri gloria, &c.* Lecta est ejusdem Pontificis Epistola ad *Photium*, ex cujus vel sola inscriptione mendacii convinci poterant, qui *Photii* Ordinationem contendebant a *Nicolao I.* approbatam; siquidem in ea neque *Frater*, neque *Comminister* vocabatur *Photius*, quibus nominibus Summus Pontifex Episcopos designare solet. Ita enim habebat Inscriptio: *Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei, Prudentissimo Viro Photio.* Ex his Epistolis, facile probarunt Legati Apostolici, *Photii* Ordinationem a Romana Sede nusquam fuisse susceptam, immo semper inter Laicos recensitum: cum Summus Pontifex *Nicolaus* in litteris laudatis eum & *Mœchum*, & *Invasorem* appellarit. Post hæc, Illustrissimi Patritii rogarunt, obtulissent ne Libellos Episcopi illi Photiani, de quibus agebatur, cum Romam Legationis ergo profecti sunt, quia *Mos erat in Romana Ecclesia, ab omni homine hospite Libellum fidei exigendi, & ita permitti hunc in Sanctum Petrum intrare.* Testati sunt Legati Apostolici illos duplicem Libellum porrexisse, unum Fidei, antequam urbem ingrederentur;

tur; alterum, quo se Apostolicæ Sedis Decreta jurabant servaturos, antequam admitterentur ad Communionem Laicam duntaxat, non Episcopalem.

Denique interrogati sunt illi Photianarum partium Antistites, vellent ne subscribere Libello a Romana Sede ad Synodum transmisso. Responderunt: *Nec audire illum volumus.* Quapropter jubentibus Legatis Apostolicis, foras projecti sunt.

## §. XVII.

### *Quid gestum Actione V.*

XIII. Kalendas Novembris quinta Sessio celebrata. Citatus est *Photius*, ut se coram Synodo sisteret; & quidem per Laicos probri, & dedecoris causa. Consueverant enim Episcopi per Episcopos, Presbyteri per Presbyteros, quisque per sui Ordinis homines conveniri. Coram Synodo constitutus, cum semel, iterumque interrogaretur, utrum constituta Romanorum Pontificum *Nicolai I.*, ac *Hadriani II.* susciperet; nihil prorsus respondit. Se enim sponte ad Synodum non accedere, sed ab Imperatore coactum, contestatus fuerat; illisque *Davidis* verbis abusus, juraverat silentium: *Dixi*, *custodiam vias meas*; *ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam.* Quam impudentissimi hominis responsionem gravissime tulere Patres, quod sanctam Synodum nihil aliud esse innuerit, quam peccatorum cœtum, adversus ipsum, qui insontem se judicaret, congregatum; siquidem in Davidico Oraculo sequuntur hæc verba: *Cum consisteret peccator adversum me.* Urgebant Legati, ut ad interrogata responderet. Dixit ille: *Vocem meam*, *etiam me tacente*, *Deus audit.* Reposuere Legati: *Per silentium non effugies manifestiorem damnationem.* Photius dixit: *Nec Jesus tacendo evasit damnationem.* Quasi illos Pilato, seipsum Christo comparans. Tunc Legati

*Photii superbia, & insolentia*

Lit-

Litteras *Nicolai I.* cum ad Michaelem Imperatorem, tum ad ipsum *Photium*, legi jusserunt: quibus perlectis, ipsum a Summis Pontificibus *Nicolao I.*, & *Hadriano* legitime damnatum conclamarunt. *Elias* Hierosolymitanæ Sedis Legatus ex ambone vehementer concionatus, ostendit *Photium* a Sedibus Orientalibus nunquam fuisse susceptum; eumque ad Pœnitentiam adhortatus est. Legati etiam Apostolici Conçionem non absimilem per Interpretem *Theodorum* a Secretis legi jussere, qua sententiarum in *Photium* Romæ latarum æquitatem commendarunt, approbante Synodo. Sed & verbis *Photium* adhortati sunt ad Pœnitentiam, ut communionem inter Laicos promereretur.

Ipsum quoque ad parendum Synodo, & Sedi Apostolicæ urgentissima Oratione invitavit *Babanes* Patritius. *Loquere*, inquit, *Domine Photi, quodcunque habes justitiæ opus: totus mundus hic est; ne claudat viscera sua Sancta Universalis Synodus. Quo namque vis ex hoc confugere? Romam? Ecce a Roma. In Orientem? En ab Oriente hic adsunt: Vide, ne claudatur janua: Si isti clauserint, nemo est, qui aperiat. Dic, homo Dei, quam habes justificationem?* Photius respondit: *Meæ justificationes non sunt in hoc mundo: si in mundo hoc essent, inde videretis.* Viri insipientiam, temeritatem, ac superbiam demiratus Patritius Illustrissimus ipsi inducias concessit, ut saluti suæ consuleret. Arrogantius ille respondit: *Spatium quidem non deprecor; ut autem emittar a vobis, vestræ potestatis est.* Rursus ad pœnitentiam ipsum incitare perrexit Vir Illustrissimus, dum præsentes essent Sedis Apostolicæ Legati, post quorum discessum nihil essent profutura, quæ diceret, vel ageret. Verum nihil promovit; *Photius* enim affectato silentio immotus manebat. Quamobrem a Synodo dimissus est, ut videret, quid sibi conveniens esset.

§. XVIII.

## §. XVIII.

### *Quid gestum Actione VI.*

Octavo Kalendas Novembris, sexto convenit Sancta Synodus. Interfuit isti Actioni *Basilius* Imperator, cui eleganti Oratione *Metrophanes* Metropolita Smyrnensis exordium dedit. Deinde lectum est Epanagnosticum Legatorum Apostolicorum; qui ab Imperatore postularunt, ut quæ contra *Photium* a Summis Pontificibus *Nicolao*, & *Hadriano* decreta erant, executioni mandarentur. 3. *Theophilus* Protospatharius ab Imperatore jussus, Photianæ consecrationis Episcopos, & quotquot illius schismati adhærebant, in Synodi conspectum introduxit. 4. Relectæ sunt Epistolæ *Nicolai I.* Pontificis Maximi ad Imperatorem, & ad *Photium*. 5. Vicarii Orientalium Sedium prolixa interlocutione ostenderunt, nusquam ab Ecclesiis, quarum personam gerebant, receptam fuisse *Ignatii* abdicationem, & *Photii* Ordinationem; nullasque litteras communicatorias ad ipsum directas, vel ab ipso receptas. Nullius porro esse ponderis, quam jactitabant, *Ignatii* cessionem, quia tyrannice facta fuerat, & coacte. *Coactam violentiam*, inquiunt, *refutationem non existimamus.* 6. Basilius Imperator Episcopos a *Photio* stantes interrogavit, utrum in tam manifesto Judicio totius Ecclesiæ comprobato consensu acquiescerent. Renuerunt illi: omniaque prolata in *Photium*, tum a Romanis Pontificibus, cum ab Orientalibus Sedibus Judicia, vana esse, irrita, tumultuaria, voce imprudenti conclamarunt. Quibus Imperator sapienter admodum respondit: *Vos principali manu Synodos inordinatas soli, ac singulariter sine Patriarchicis Thronis facientes, Sanctas vocare ausi estis; & huic præsenti, quæ ab omnibus Patriarchalibus Thronis celebrata est, Dei cooperatione, ac gratia, qui Imperium nobis commisit, detrahere non erubescitis. Utique nostis & vos, & universitas, quæ sub cœlo est, quia protectione veri Dei nostri quin-*

*que Patriarchiæ orbis terrarum recta sentiunt, & non est læsio fidei: & ideo, quidquid judicant, necessario debetis recipere.*

Septimo. *Zacharias* Chalcedonensis Photianarum partium Episcopus ejus patrocinium suscepit, & causam egit: ac primo *Nicolai I.*, & *Hadriani II.* Romanorum Pontificum Judicia conatus est elevare. *Et Papæ Nicolai*, inquit, *& cæterorum Patriarcharum Canon Princeps est, & secundum illum agentes, nil faciunt extra, quod docent: Cum vero extra hunc faciunt sive Papa Nicolaus, sive alius quis, non acquiescimus.* Id est, cum Pontifices, & Patriarchæ Canonibus subditi sint, eorum judicia nullius sunt momenti, nec illis est parendum, si a Canonibus aberrent. Secundo, non esse indeficientia, & irretractabilia Romanorum Pontificum Judicia contendit: quod exemplis duobus probat, *Marcelli* scilicet Ancyrani, qui a *Julio* Pontifice Maximo, & a Synodo Sardicensi absolutus etiamnum anathemate, ut hæreticus, percellebatur; & *Apiarii*, qui a Romanis Pontificibus absolutus, ab Africana Synodo repulsus est. Tertio diluit rationes quibus *Nicolai I.* in *Photium* Sententia nitebatur. *In eo*, inquit, *quod dicit: non debuisse hunc ex Laicis provehi, consecrantes quidem cautos reddit, consecratum autem non damnat. Et consuetudo Canonem illum exuperavit. Etenim Tarasius ita consecratus est, & Nicephorus, & Nectarius, & Thalassius Cæsareæ, ac Eusebius, & Ambrosius Mediolani, atque alii mille. Si ergo sunt innoxii, est & hic.* Quarto probat, non esse repellendum *Photium*, quod a *Gregorio* Syracusano Antistite deposito consecratus fuerit: quia non sunt exauctorati, qui a *Petro Moggo* Alexandriæ, nec qui ab *Acacio* Constantinopolitano ordinati fuerant; licet uterque fuisset depositus. Quinto probat *Photium* non esse depositione plectendum, licet depositos Antistites susceperit, immo ab iis ordinatus sit: quia *Anatolius* qui *Eutychetem* a *Flaviano* damnatum susceperat, nulli

*Zacharias Chalcedonensis Photii causam egit.*

li pœnæ obnoxius propterea fuit. Quam ob rem pœnam, si quæ infligenda sit, non *Photio*, sed iis, qui ipsum consecrarunt, esse infligendam. Denique *Flavianum* Antiochenum Patriarcham, etsi a Romana Sede non receptum, depositum non fuisse, quia ejus Ordinationem Canones non rescindebant: mirum itaque videri non debere, si *Photius*, & Antistites, Presbyteri, aliique ab eo consecrati, Decretis depositionis suæ non pareant, donec proferantur Canones secundum quos deponi debuerint.

*Basilius* Imperator prolixæ, & vanæ Orationis filum abrupit, omnia, quæ in medium adducebant, quorumdam errata ab aliis Patriarchis emendata fuisse dicens, seu concessam illis violatorum Canonum veniam: *Photii* autem, & Photianorum Ordinationes nunquam ab Ecclesiæ Patriarchis fuisse receptas, vel sanatum illorum vitium. Illos proinde in sepulchro nequitiæ suæ mortuos jacere. Tum ipsos hortatus est pius Princeps, ut Synodi misericordiam implorarent. Denique contumaces verbis gravissimis castigavit. *Omnes*, inquit, *novimus, quia Laici estis: & non adduximus vos latrare, & sine ordine fundere verba. Omnia enim vestra mendacia sunt, & seductio.* Quas increpationes iniquo ferentes animo Photiani Episcopi, Imperatorem diabolo maledicentiorem petulanter inuerunt. *Hoc*, inquiebant, *nec diabolus ausus est dicere.* Tum Photianis Episcopis exprobravit Pius Imperator, quod ex Laicis, sicut *Photius*, ordinati essent, nimirum ex Patritiis Protospathariis, Stabulariis. Hoc repellere probrum conatus *Eulampius*, cum Imperatore procaciter contendebat. Cujus insolentiam Legati represserunt Apostolici, monentes Imperatorem, ne cum eo colloqueretur amplius, qui a Romana Sede anathemate percussus esset.

Mox tres Episcopi ab *Ignatio* olim ordinati, sed Photiano Schismate ab ejus Communione avulsi, ab Apo-

ſtolicis interrogati fuere Legatis, an Judicio Synodi ſe ſubjicerent, & ad ſubſcribendum Libello, a Romana Sede transmiſſo eſſent parati. (Hi erant Heracleenſis, Cretenſis, & Celendeıenſis Epiſcopi.) Reſponderunt viri contumaces: *Ne fiat, Deus. Sed ſi juſſerit Imperator noſter ſanctus audire omnia, quæ acta ſunt, dicemus.* Ad quos Legati: *Si non vultis obaudire Sanctam Synodum, ite ad Patres veſtros.*

*Metro-*
*phane-*
*Smyrne s*
*ſis evern-*
*momentit*
*quæ ta,*
*P h o tpro*
*Zacha i o*
*protulrias*
*rat. e-*

Poſt hæc, *Metrophanes* Smyrnæ Metropolita *Zachariæ* Chalcedonenſis argumenta vaniſſima ad tuendam *Photii* Ordinationem facta, diluit. Ad primum quidem ait: ipſos non poſſe refragari Sententiæ *Nicolai I.* etſi Judex ſummus non fuiſſet ratione Primatus *Sancto Petro*, & ipſius Succeſſoribus in Eccleſia univerſa commiſſi: quia ipſum Judicem elegerant, & ad ejus tribunal *Photius* cauſam ſuam per Legatos, & Epiſtolas detulerat. Prohibent autem Canones, & Leges ab electis Judicibus appellare. *Leges*, inquit, *ſanciunt tam Eccleſiaſticæ, quam Civiles, omnem, qui elegerit aliquem Judicem, modis omnibus ſequi, ac obedire præceptis ejus, & nequaquam refutare penitus, ac repellere prolatas ab eo, ac depromptas definitiones, & leges. Cum itaque pars veſtra petierit, & propoſuerit Judicem Beatiſſimum Papam Nicolaum, quomodo vos extra poſitas Eccleſiæ, ac Reipublicæ Leges, & Regulas eum redarguere, ac judicare præſumpſiſtis, aſſerentes, non ſecundum Canonem egiſſe? . . . . Invenimini ergo in parte hac, & Eccleſiaſticas, & Civiles reprobare leges, pro eo, quod, quem pertuliſtis, & elegiſtis Judicem, nunc abjiciatis. Nemo enim electum a ſe Judicem ex propria optione vice verſa judicare, vel condemnare penitus debet.*

Ad ſecundum momentum reſpondet, *Marcellum Ancyranum* canonice receptum a *Julio*, cum anathematizaſſet hæreſim, cujus in ſuſpicionem venerat; & rurſus canonicæ rejectum, ut hæreticum a *Liberio*. Unde non fuit reprobatio Sententiæ a *Julio*, vel Synodo

Sardicensi in ipsum latæ; ob factam in eo mentis mutationem.

Ad factum *Apiarii* respondet, Synodum Africanam revera paruisse decretis Romani Pontificis, quamvis propter scandalum, ipsi interdixerit sacris ministeriis in Ecclesia duntaxat Siccensi.

Ad exemplum *Flaviani* Antiocheni Patriarchæ respondet, ipsum tandem rogante *Theodosio* Imperatore fuisse a Romana Ecclesia susceptum.

Lapsus est in Historia *Metrophanes*, cum *Marcellum* a *Liberio* rejectum asseruit, ut hæreticum. Nam *Basilius* post obitum *Liberii*, & sub *Damasi* Pontificatu de *Marcello*, & de Romana Ecclesia, omnibusque Latinis scribens ad *S. Athanasium*, ait: *Marcellum nequaquam reprobare visi sunt, ac per hoc culpandi veniunt, ut, qui ab initio illum per ignorantiam veritatis in Ecclesiasticam etiam Communionem receperint.* Erravit pariter in Historia *Metrophanes* cum *Theodosio Seniore* rogante susceptum dixit ab Ecclesia Romana *Flavianum.* Id siquidem factum *Innocentio I.* Summo Pontifice, & *Arcadio* Imperatore docet *Theodoretus*, lib. 8. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 23. Docet etiam Epistola *S. Ambrosii ad Theophilum*, & ab eo laudata Capuana Synodus.

Ad tertium respondet primo. Sibi ipsi contradicere *Zachariam*, qui cum prius dixerit *Nicolaum I.* contra Canones judicasse, nunc consuetudinem in subversionem Canonum, a *Nicolao I.* prolatorum, velut sui oblitus objicit. Secundo respondet, singularia facta, & admodum infrequentia, consuetudinem non inducere, quæ Legi derogare valeat. Tertio, Discrimen immensum esse *Photium* inter, & alios, qui ex Laicis ordinati sunt. *Nectarium* enim Synodus *Universalis*, *&* *Sancti Patriarchæ diversi elegerunt*, *&* *promoverunt*

Ar-

*Archiepiscopum Constantinopoleos, nullo modo Imperatore cogente illos, neque ulla Principali manu in causa penitus mediante: Sed neque quempiam viventem ab hujuscemodi Cathedra manus Imperialis tyrannice depulit, & tunc provectus est Nectarius. Similiter etiam & Ambrosius. Auxentio defuncto Ariano, a Synodo, quæ tunc a Mediolanensibus est de Orthodoxis Dogmatibus congregata, promotus est in Episcopum prædictæ civitatis, nullo modo Principali manu impellente Episcopos in electionem ejus, vel promotionem. Pari quoque modo & Beatus Tharasius illo ipso novo confessore Paulo, qui propter Orthodoxam Fidem sequestratus a Cathedra Constantinopoleos, & testimonio approbatus est, & promotus; eo illum dignum esse tali Throno asseverante, ac omnibus propugnatoribus pietatis, qui tunc aderant, propter zelum orthodoxæ fidei, ac irreprehensibilem vitam ejus, sed non tyrannice, vel coacte ad receptionem ejus conducti sunt. Similiter & post dormitionem Beatissimi Tharasii, Beatissimus Nicephorus Patriarcha Synodice electus, & consecratus est Archiepiscopus Constantinopoleos, sponte, ac voluntarie collectis Episcopis, qui Decretum illius, & Consecrationem fecerunt. In Photio vero nihil omnino tale invenitur, eo, quod & ille, vivente legitimo Ecclesiæ viro subrogatus sit, & provehentes eum, ac consecrantes in illius consecrationem coacti, ex Imperatoris tyrannide impulsi sunt, & nulla Patriarchalium Sedium in Sacerdotio eum recipere passa fuit.*

Ad quartum momentum respondit, Ordinatos ab Hæreticis, cum hæresim ejurant dato libello, ad Ordinum suorum Ministeria recipi, in gradusque restitui pristinos, quia id fieri decernunt Ecclesiæ leges; non vero consecratos a mœchis, & invasoribus alienarum Sedium, quia id Canones vetant. Sic Ecclesiam non misisse in irritum Ordinationes ab *Acacio*, & *Petro Maggo* factas, quamvis uterque depositus esset: rejecisse autem & *Maximum Cynicum*, & omnes ab

eo ordinatos, adeoque pari jure *Photium*, & ab eo promotos repelli debere.

Ad quintum respondet, minus esse noxios, qui *Photium* ordinarunt, quam *Photium* ipsum; quia ad Ordinationem illegitimam vi, & tyranice sunt compulsi, *Photius* vero Schisma fecit, scandala excitavit plurima; & nullam vim perpessus, sed lubens, ac volens a *Gregorio* Syracusano dudum deposito, pluribus Episcopis reclamantibus inauguratus est.

*Imperator Schismaticos ad Pœnitentiam adhortatur.*

Denique Imperator elegantissimam Orationem habuit ad Schismaticos Antistites, qua eos hortatus ad Pœnitentiam est. Ex qua hæc observanda sunt, stylo potius Patrum, quam Regum exarata: *Vos quoque, qui curatione indigetis, pretiosa membra Christi: etsi, nescio quomodo, a malo dæmone detenti, a Capite separati estis: vitis vera quæ propter contentionem importunam, immo vero injustam, in amaritudinem conversa est, Amici, & proximi nostri; etsi propter odium irrationabile ex adverso appropiantes, & stantes, ac unitatem respuentes: suscipite admonitionis sermonem, non autem confundor dicere, etiam deprecationis. In id enim nos adduxit misericordia, quam circa vos habemus. Scrutamini intima conscientiæ vestræ, & invenietis vos male ab Ecclesia esse disjunctos. Novissima hora est, & Judex præ foribus est, fratres, ne præoccupemur ab ejus Ecclesia sequestrati, & longe ab ejus gloria projiciamur. Nihil turpe ducamus vulnus ostendere, ac locum Pœnitentiæ, ac medicinæ requirere, ne confusionem obedientiam arbitrando, confusionis æternæ sumamus experimentum. Qualis autem est confusio, fratres, procidere Deo, & veniam expetere? Deo enim procidunt, qui Ecclesiæ, & spiritualibus istis Patribus procidunt. . . . . . Si autem omnino hoc confusionem arbitramini; ego forma vobis efficiar hujus optimæ humilitatis. Ego primus me super pavimentum projicio, purpuram, & diadema parvi*

*vi*

*vi pendens. Ne vereamini pedibus calcare verticem, cui super imponitur a Deo corona. Omnia pati promptum habeo, & promptius agere, quæ vobis quidem confusionem, mihi autem gloriam, & maximam claritatem conferre videantur. Neque enim in hoc curam gero gloriæ meæ, tantum ut videam Communionem, unitatem, & unam Ecclesiæ festivitatem.* Ubi dicendi finem fecit *Basilius Augustus*, adhuc septem dierum induciæ Schismaticis datæ sunt, ut, si ad Ecclesiæ unitatem redirent, misericordiam Sanctæ Synodi experirentur. Atque ita finis impositus est Actioni sextæ.

## §. XIX.

### *Quid gestum Actione VII.*

IV. Kalendas Novembris intromissus est *Photius* in Synodum septimo considentem, & cum illo *Gregorius* olim Syracusanus Episcopus. Cumque baculo, seu pede pastorali *Photius* innixus esset, *Marinus* Romanæ Ecclesiæ Diaconus, & Legatus jussit ipsi auferri Pastoralis istud insigne dignitatis. *Tollite*, inquit, *baculum de manu ejus, signum est enim Dignitatis Pastoralis, quod hic habere nullatenus debet; quia lupus est, & non Pastor.* Tum Sedis Apostolicæ Legati interrogari jussere *Photium*, utrum resipiscere vellet, ac Libellum offerre, ut Communionem inter Laicos mereretur. At ille *Babani*, illustrissimo Patritio interroganti, nihil ad rem respondit. Dixit enim, cum de Libello quæstio esset, *Dominus Imperatorem nostrum Sanctum custodiat in multos annos.* Deinde cum urgeretur, magis pœnitere debere Legatos, impudenter clamavit. Tertio intromissi sunt Photianarum partium Episcopi, pariterque interrogati de Libello, pervicaces æque inventi sunt. Unde *Babanes* Imperatoris nomine his ipsos verbis compellavit: *Homines, dicite unde estis? De cœlo estis? De abysso estis? An de terra, in*

*qua nos degimus? Et ostendite hac hora, quia sive hæresis mota est, sive Schisma emersit in qualibet parte, & sensit aliquis extra quatuor Patriarchia, & salvatus est. Hodie quatuor Patriarchia, immo vero quinque, condemnatione condemnant vos, quid vobis videtur ad hæc? Est qui adjuvet vos? Dicite.* At illi ad Canones Apostolorum, & Conciliorum provocarunt, Synodi Judicium declinantes.

Quarto, jubentibus Sedis Apostolicæ Legatis, recensitum est iteratum *Nicolai I.* Pontificis Maximi Judicium adversus *Photium tyrannum, mœchum, & invasorem*, missum Constantinopolim per literas ad Metropolitas, Episcopos, Clerumque universum eidem Sedi subjacentem: quarum istud est exordium: *Et, quæ nuper apud Constantinopolim gesta sunt.* Quinto *Hadriani II.* Pontificis etiam Maximi lectæ sunt Epistolæ, quibus Acta *Nicolai I.* Decessoris sui contra *Photium* confirmabat. Sexto, lecta sunt Acta Concilii Romani ab eodem Pontifice contra *Photium* celebrati. Septimo, *Nicetas* Archidiaconus legit Commonitorium Sermonem a Legatis Apostolicis ad *Photium*, ejusque Partiarios directum, quo proferendam iterum in eum anathematis Sententiam significabant: siquidem Sedis Apostolicæ Judiciis non parere decreverat, sed aures suas instar aspidis surdæ obturabat. Octavo, lecta est a *Stephano* Diacono, & Notario, Acclamatio Patriarchæ *Ignatii* ad Synodum, quæ ita incipit: *Fratres Sancti, & Filii dilecti.* Nono, prolati sunt Anathematismi in *Photium*, & ejus fautores hoc tenore: *Photio Curiali, & invasori, Anathema, Photio Sæculari, & forensi, Anathema. Photio Neophyto, & tyranno, Anathema. Photio Schismatico, & damnato, Anathema. Photio mœcho, & parricidæ, Anathema. Fabricatori mendaciorum, Anathema. Inventori perversorum dogmatum, Anathema. Photio novo Maximo Cynico Anathema. Novo Dioscoro, Anathema. Novo Judæ, Anathema. Omnibus sequentibus, & fautoribus ejus, Anathema. Gregorio* du-

dudum *Episc. Syracusano*, *Anathema.* *Eulampio deposito*, *& Schismatico anathema.* Denique egresso *Photio Stephanus* Diaconus, & Notarius nomine Synodi acclamavit Imperatori, ceu *Liberatori Christianorum*, *Erectori Ecclesiarum*, *Novo Constantino*, *Novo Theodosio*; *Eudoxiæ*, ceu *Novæ Judithæ*, *novæ Helenæ*, *novæ Pulcheriæ*: Memoriæ *Nicolai I.* Romani Pontificis, ceu *Novi Phinees*, *novi Danielis*, *novi Martini*: Hadriano II. R. Pontifici, ut *Imperatori novi Simonis*, *Percutienti novum Mendacem Ananiam*; *Novo Cœlestino*: *Ignatio Patriarchæ*, ceu *Novo Athanasio*, *Novo Confessori Paulo*, *Novo Flaviano*, *Novo Anatolio*: Patriarchis Orientis; Legatis Sedis Apostolicæ: Vicariis Sedium Orientalium: Sacro Senatui. Sic finis impositus est Actioni VII.

## §. XX.

### *Quid gestum Actione VIII.*

ACTIO VIII. Nonis Novembris celebrata est, in qua conjecta sunt in ignem, jubente Imperatore omnia Chirographa, quæ *Photius* ab omni hominum genere extorserat: Nec non omnia ejus Scripta, contra *Nicolaum* Pontificem Maximum, & Conciliabula, contra *Ignatium* facta. Post hæc; actum est de *Petro* Monacho, qui in suspicionem venerat porrecti contra *Nicolaum* Pontificem Maximum Libelli, appositæque Photiano Latrocinio subscriptionis. Ille vero hanc sibi illatam calumniam, porrecto Libello Apologetico egregie diluit. Intromissi sunt deinde *Basilius* Hierosolymitanus, & *Leontius* Alexandrinus, quorum nomina Conciliabulo suo, velut Legatorum ab illis Sedibus *Photius* inseruerat. Jussi sunt anathema dicere Libellis contra *Nicolaum* confictis, eorumque Auctoribus. Tergiversati sunt nonnihil. Quapropter Legati Sedis Apostolicæ dixerunt: *Quoniam non patiuntur anathematizare, qui fecit malum hoc, quemad-*

*modum ſcripſit Sanctiſſimus Hadrianus Papa ad Piiſſimum Imperatorem, tradantur nobis, & deſcendant nobiſcum Romam.* Quibus auditis, Leontius dixit: *Anathema & ei, & illi, qui ſcripſit eum.* Baſilius vero dixit: *Anathema ei, qui dedit Libellum contra Papam Nicolaum.* Interrogati pariter Metropolitæ, an ipſorum eſſent ſubſcriptiones Libello contra *Nicolaum I.* appoſitæ; negarunt: unde *Photius* falſi crimine convictus eſt. Tertio, jubentibus Sedis Apoſtolicæ Legatis, lectus eſt Canon Synodi Romanæ ſub *Martino I.* adverſus eos conditus, cui falſa, corruptaque monumenta, Synodos, Epiſtolas, ſubſcriptiones, teſtimonia, Legatos, ſupponebant; quo ipſis uſque ad obitum intercluditur Eccleſiæ aditus. Quarto actum eſt de Iconomachis. Juſſus eſt ſiſtere ſe Synodo *Chritinus* hujus hæreſeos acerrimus propugnator. Aperta eſt ipſi, & ſociis pœnitentiæ janua, & Eccleſiæ ſinus, modo ſatisfacerent ſubſcripto Libello. *Chritinus* altisſimum ſervabat ſilentium. Unde *Bahanes* illuſtriſſimus Patritius obtulit illi numiſma, in quo Imperatoris imago excuſſa erat; eumque interrogavit, num illam veneraretur? Annuit ille. Ad quem Vir Illuſtriſſimus: *Jubet Imperator noſter Sanctus dicere tibi: Si imaginem meam, id eſt, mortalis Regis, non vis inhonorare; ſed honorabiliter ſuſcepiſti e manu mea, quomodo Dei virilem Imaginem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Sanctiſſimæ Matris ejus, & omnium Sanctorum, dicis inhonorare?* Petiit inducias *Theodorus*, ſpoponditque ſacras imagines ſe honoraturum, ſi ipſarum veneratio a Chriſto præcepta oſtenderetur. Repoſuit illi illuſtris Patritius; Illum non eſſe vocatum, ut diſputaret, ſed ut Synodi admonitionem ſuſciperet. Porro conſentiente Eccleſia univerſa, cujus indeficiens judicium eſt, non eſſe quærendum Chriſti præceptum. „ Poſuit Deus Eccleſiam ſuam in quin„ que Patriarchis, & definivit Evangeliis ſuis, ut „ nunquam aliquando penitus decidant, eo, quod Ca„ pita Eccleſiæ ſint. Etenim illud, quod dicitur: * „ Et

*De Iconomachis agitur.*

*Eccleſiæ infallibilitas.*

* *Matth.* 16.

„ Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: „ hoc denuntiat: Quando duo ceciderint, currunt ad „ tria, cum tria ceciderint, currunt ad duo; cum „ vero quatuor forte ceciderint; Unum, quod permanet in omnium Capite Chriſto Deo noſtro, revocat „ iterum reliquum Corpus Eccleſiæ. Nunc autem „ toto terrarum orbe concordante, non habes excuſationis modum, quemadmodum olim factum eſt. Poſt hæc lectum eſt Capitulum ex Epiſtola *Nicolai I.* contra Iconomachos. Tum *Nicetas* Clericus, *Theophilus* ſæcularis, & *Theophanes*, Iconomachorum hæreſim ejurantes, in ſinum Eccleſiæ ſuſcepti ſunt, & Imperatoris etiam oſculo honeſtati. Tandem repetitis Anathematismis in Iconomachos, & in *Photium*: iteratis etiam acclamationibus gratulatoriis, finita eſt Actio VIII.

## §. XXI.

### *Quid geſtum Actione IX.*

Actio nona anno ſequenti, pridie Idus *Februarias* habita eſt; in qua admiſſus eſt *Joſeph* Alexandrinæ Eccleſiæ Archidiaconus, & *Michaelis* Alexandrini Patriarchæ Legatus; cujus lectæ ſunt literæ ad *Baſilium* Imperatorem. His teſtabatur, ſe hucusque Saracenorum tyrannide fuiſſe prohibitum, ne ſcriberet. Mittere ſe *Joſephum* Monachum, & Archidiaconum ſuum, ſpecie liberandi captivos Conſtantinopoli: cui proinde Saracenos aliquot donari rogat. Conſtantinopolitani Patriarchæ cauſam ſibi eſſe prorſus incognitam. Ex Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis conſtare, quandoque duos uni Eccleſiæ Epiſcopos ſimul præfuiſſe: ut *S. Narciſſum* Hieroſolymitanæ cum *Gordio*, & deinde cum *Alexandro*. Hoc medium ſuggerebat componendæ, ſi fieri poſſet, contentionis, quam inter Patriarchas intercedere inaudiverat. Perlecta Epiſtola, Patres Deo gratias egere, qui, quod deerat uni-

versali Synodo, supplevit, eamque nunc perfectissimam demonstravit. Perfectissima quippe Synodus est, cui nullus deest Patriarcharum. Tum cognitis, quæ in octo præcedentibus Actionibus gesta erant, Legatus ille Alexandrinus Patriarchæ sui *Michaelis*, & Ecclesiæ ejusdem nomine, omnia rata habuit, sententia sua super intemerata Evangelia, & lignum vivificæ crucis posita; quæ per *Thomam* Diaconum, & Notarium lecta est.

*A Laicis etiam exigitur Anathematismus; quamvis de fide quæstio sit nulla.*

Tertio intromissi sunt falsi testes, qui contra *Ignatium* Patriarcham, suadente *Photio*, & *Michaele* Imperatore compellente, testimonium dixerant, ut jure deponi videretur. Hi crimen confessi, Epitimium, seu pœnam canonicam a Synodo suscepere, cujus moderandæ potestatem *Ignatio* Patriarchæ Synodus fecit. Inter illos erat *Leo* Consul, quem cum interrogassent Legati Apostolici, utrum anathematizaret *Photium*, & omnes, quos Synodus anathemate confixerat, respondit: *Quis sum ego, ut anathematizem? Anathematismus in causa fidei fit: at vero Photius Orthodoxus est, & ut quid anathematizabo eum?* Reposuere Legati: *Opera ejus pejora sunt omni hæresi, quia diaboli operarius est.* Consul pœnitens, & obediens dixit: *Cum vos judicetis fieri, & excepta hæresi Anathematismum, anathematizo, & ego cunctos, quos anathematizavit Sancta, & universalis Synodus.* Ex quibus compertum est, eam fuisse Ecclesiæ disciplinam, ut non solum Clerici, verum etiam Laici, anathema dicere cogerentur, sive Hæreticis, sive Schismaticis, aut aliis quibuscunque ab Ecclesia damnatis.

Quarto actum est de rerum sacrarum illusoribus, qui scilicet, cum Laici essent, Sacerdotalibus indumentis in urbe Constantinopolitana procedere, & personas Episcoporum, & Presbyterorum agere consueverant tempore Michaelis temulenti Imperatoris. Hi ad Synodum vocati, confessi sunt se mimos in Ecclesia egisse, ac illusisse Sacerdotio, jubente Imperatore, qui

ad

ad eos, & ad alios plures Spatharios Stolam Sacerdotalem ob ludum mittebat. Hi ad Pœnitentiam reservati sunt, in alio Conventu ipsis imponendam. Imposita autem est *Canone XVI.* qui de hujus sacrilegii reis quod nec apud Gentes a sæculo unquam auditum est, *ita statuit: Si vero quispiam Imperator, vel Potentum, aut Magnatum, taliter illudere divinis, & talem, ac tantam injuriam, impie in divinum Sacerdotium facere, vel admittere tentaverit, primo quidem arguatur a Patriarcha illius temporis, & Episcopis, qui cum ipso fuerint, & segregetur, & indignus Divinis Mysteriis judicetur; deinde vero accipiat quosdam alios in duram observationem labores, & pœnas, quæ visæ fuerint. Et nisi celeriter pœniteat, etiam anathema sit a Sancta, & Universali Synodo, tamquam, qui sinceræ, & immaculatæ Fidei Mysterium dehonestaverit. Si vero præsumentibus quibusdam hujusmodi nefas operari, Patriarcha Constantinopolitanus, & Suffraganei ejus Episcopi, quod factum fuerit cognoscentes, neglexerint debitum adversus eos ostendere zelum, deponatur. Qui vero quoquo modo hujusmodi ministraverunt, aut ministraturi sunt impiissimæ actioni, & minime confessi, acceperint conveniens Epitimium, definimus per triennium sequestratos esse, anno quidem uno extra Ecclesiam flentes; alio vero anno intra Ecclesiam stare usque ad Catechumenos; tertio consistere cum Fidelibus, & ita dignos fieri Mysteriorum Sanctificationibus.*

**Excommunicatio inflicta, & Pœnitentia imposita eis, qui rebus sacris illudunt.**

## §. XXII.

### *De Canonibus Synodi Oecumenicæ Octavæ, aliisque gestis Actione X.*

Actione decima, quæ habita est pridie kalendas Martias, lecti sunt Canones 27. a Patribus conditi. *Primus*, Canones, sive ab Apostolis, sive ab universalibus, sive a localibus Conciliis, vel a Patribus, & Magistris Ecclesiæ traditos, servandos esse docet, ut *Secunda eloquia Dei.*

**Tredecim tantum Canones Græce reperiuntur. Sed XXVII.**

Se-

*habet Anastasius Bibl. qui Acta Synodi Latine vertit.*

*Secundus*, Decreta Synodica *Nicolai I.* & *Hadriani II.* Romanorum Pontificum pro Defensione, ac statu Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ac Sancti Patriarchæ *Ignatii*, & pro *Photii Neophyti*, *& invasoris impulsione*, *ac condemnatione*, integerrime servari jubet. Qui illa spreverit Sacerdos, aut Clericus gradu, & ordine dejicitor: Monachus, vel Laicus, cujuscunque dignitatis segregator.

*Cultus religiosus sacrarum Imaginum.*

*Canon tertius*, Imaginem *Christi omnium Liberatoris, & Salvatoris æquo honore cum libro SS. Evangeliorum adorari* decernit; & Imagines Dei Genitricis Mariæ, Angelorum, & Sanctorum hominum. Qui aliter sentiunt, anathema sunt a Patre, & filio, & Spiritu Sancto. Cum Imaginem Christi adorandam, ut Codex Evangeliorum adoratur, docet S. Synodus, honorariam adorationem duntaxat, seu honorem, quem rebus sacris exhiberi jubet religio, non latriam intelligit: maxime cum alium honorem Imagini Salvatoris non decernat, quam Imaginibus Deiparæ Virginis, & Sanctorum.

*Quo sensu Synodus Photii Ordinationes irritas dixerit.*

*Canon quartus*, ad Laicos redigit eos omnes, qui a *Photio* consecrati, aut promoti sunt; utpote, qui nec sit, nec fuerit unquam Episcopus: & Dedicationem Ecclesiarum, aut Altarium ab ipso, aut iis, quos ille consecravit, factam, irritam declarat, atque iterari statuit. *Hadriani II.* Sententiæ consonum istud Synodi 8. Decretum. Ille enim in Epistola ad *Ignatium* Constantinopolitanum Patriarcham, quæ lecta est Actione III. Synodi Octavæ, ita scripsit: *Præ omnibus, & super omnia Gregorium Syracusanum, & Photium tyrannum, & quos idem Photius in gradu quolibet ordinasse putatus est, ab Episcoporum numero, & dignitate, quam usurpatione, ac fide dedit, merito sequestrantes. Primo, quia Photius Maximo, & Ordinatio ejus, vel potius execratio, istius Ordinationi pene in cunctis videtur esse simillima. Secundo, quia sic se ba-*

*habet per Decessorem meum Sedis Apostolicæ Decretum, cujus Judicium nusquam præcipiunt sacri Canones retractari. . . . Tertio, quia Photius vir forensis, Curialis, Neophytus, invasor, atque adulter, nec non & anathemate condemnatus existens, nihil habuit, nihil dedit; nisi forte damnationem habuit, quam se sequentibus propinaverit. Photio certe præsidente auctore dictum est: ab anathematizatis consecratus non solum non accipit Spiritum Sanctum, sed, & quod ante habuit flamen, aufertur ab eo.* Addit id iis magis congruere, qui ab anathematizato, & damnato Photio, per impositionem manus, *non lucrum, sed vulnus in capite susceperunt.* Quæ cum *Hadriani II.* tum Octavæ Synodi loca, non ita intelligenda sunt, quasi *Photii*, & eorum, quos ille consecraverat, vel promoverat, Ordinationes plane irritas esse decreverint. Synodus 8. pronuntiat *Photium nusquam* fuisse Episcopum, quantum ad jurisdictionem, & legitimam Episcopalis potestatis executionem: non negat fuisse Episcopum, quoad potestatis collatæ characterem. Decrevit ab ipso ordinatos Sacerdotes in eo Sacerdotii gradu, quem ab eo acceperant, non manere, id est, honore, loco, Privilegiis Sacerdotii privari, & in Laicorum turbam deprimi: quamvis Ordinationes ipsorum absolute, & ( ut ita loquar ) quantum ad substantiam, non rescindat. Nihil itaque dedit *Photius* Ordinationis legitimæ, quia nihil habuit; nihil honoris, quia ipse honore legitime parto non fulsit; nihil gratiæ, quia sacrilegus fuit, ac Schismaticus: Spiritus Sanctus autem non datur a Schismaticis Episcopis iis, qui Schismati communicant ipsorum, sed characterem Sacerdotalem, quem habuit, in alios transfundere potuit. Id illustratur ex Epistola IX. *Nicolai I.* ad *Michaelem* Imperatorem: *Merito*, inquit, *destructus esse creditur, qui ab destructo ædificari sperans, etiamsi quæ alia bona fortassis habuit, nimiæ præsumptionis ejus temeritati communicans, perdidit. Nam Gregorius quomodo quemquam ædificare poterat, qui multipliciter jam nosce-*

*noscebatur elisus? ... Gregorius ergo, qui canonice ac synodice depositus, & anathematizatus erat, quemadmodum posset quemquam provehere, vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius a Gregorio percepit, nisi quantum Gregorius habuit. Nihil autem habuit; nihil dedit.* At certum est *Gregorium Syracusanum* minime amisisse characterem Episcopalem, cum exauctoratus est, sed solum honorem Sacerdotii, & potestatis in Consecratione sibi collatæ legitimum usum; atque dandi Spiritus Sancti efficaciam. De his itaque duntaxat intelligendum est, quod nihil dare potuerit. Unde post verba mox laudata subdit idem Pontifex: *Per illorum, quippe manus impositionem, & invocationem dabatur Spiritus Sanctus, qui noverant mundas ad Dominum manus levare. Cæterum Gregorius, qui transgressor factus est legis ad iracundiam sui, magis quam ad Consecrationem alicujus, Spiritum Sanctum per impositionem suæ manus sine dubio provocavit, etiamsi is, qui ordinandus erat, nullas alias haberet sibi Regulas obviantes. Hinc enim scriptum est: Qui obturat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Si execrabilis, utique, & non audibilis: si non audibilis, ergo inefficax: si inefficax, profecto Photio nihil præstans; nimirum, qui vulneratum caput per illam manus impositionem potius habere dignoscitur.* Denique *Joannes VIII. Photium restituit* absque nova Consecratione; quod argumento est, ipsius Ordinationem validam fuisse, quamvis non legitimam.

*Neophyti ad Episcopatum non promovendi.*

*Canon quintus*, Leges ab Apostolis, & a Patribus statutas confirmat, quæ vetant, ne ad Episcopatum promoveantur Neophyti, sive secundum fidem, sive secundum Sacerdotalem sortem. Eos, qui ex Senatoria dignitate, vel mundana conversatione nuper in Clericos, vel Monachos attonsi fuerint, consilio, aut spe capessendi Episcopatus, aut Patriarchatus, ad sacros illos Principatus evehi prohibet, ac inaugurari, etiamsi diu in singulis Ordinibus ministraverint. Mul-

te

to magis Episcopos fieri vetat, ac Irregulares declarat, qui Principum promissis illecti, aut mandatis compulsi, eum in finem Clericali Militiæ nomen dederint. Statuit autem Ecclesiasticorum Ordinum interstitia, de quibus in gratiam Palatinorum hominum dispensetur nusquam: licet in gratiam aliorum, qui in Clero, vel Monasteriis se divinitus ad Sacerdotium vocatos, religiosa vita probaverint, illa contrahere possit Episcopus. Statuit, inquam, ut in Lectoris gradu anno solido probentur; in Subdiaconatu, duobus; in Diaconatu, tribus; in Presbyteratus Ministerio, quatuor.

*Interstitia in Sacris Ordinationibus servanda.*

*Canon sextus*, novo anathemate confodit *Photium*, id est, ab ipsa Communione Làica segregat, ob subornatos Orientalium Sedium falsos Vicarios, confictaque contra *Nicolaum I.* Romanum Pontificem Acta Synodica: similemque pœnam decernit in eos, qui simile crimen deinceps perpetraverint. Qua in re sequitur Decretum Sanctissimi Pontificis *Martini* I. in Romana Synodo.

*Canon septimus*, ad pingendas sacras imagines, vel divinas, aut humanas etiam scientias docendas, eos admitti vetat, qui ab hac Sancta Synodo anathemate percussi fuerint: qui ipsos ad has actiones admiserit, Clericus proprii gradus periculum incurrito; Laícus Divinorum Mysteriorum Communione privator.

*Canon octavus*, prohibet Constantinopolitanis Patriarchis, ne a Sacerdotibus subscriptiones exigant, quibus fidem obstringant suam ad eorum tutelam, favòrem, stabilitatem; quod non solum *Photius*, tyrannus, sed legitimus Patriarcha *Ignatius* fecerat, cum a *Basilio Augusto* restitutus est. Rem a Canonibus alienam, & ad factiones, ac Schismata viam aperientem Synodus, sub honoris periculo vetat, ac Patriarchas Prof-

fes-



fessione Fidei, quæ ab Episcopis in eorum consecratione exigebatur, contentos esse jubet.

*Nonus Canon*, extorta per *Photium* chirographa neminem obligare declarat: eos, qui se ad incautæ subscriptionis, promissi, ac juramenti fidem servandam teneri existimaverint, ob idque *Photio* adhæserint, Clericos gradu, Laicos Communione privat, utpote qui non credant Dominico verbo: * *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.*

* *Matt.* 16.

Prohibet *Canon decimus*, ne quis a suo Patriarcha, Metropolita, aut Episcopo, sub causæ cujuscunque criminalis fuco se segreget, aut nomen ipsius inter Mysteria Divina, vel Officia recitare prætermittat, ante Synodi examen, & Judicium. Qui secus fecerit, Episcopus, vel Clericus, honore, & omni sacro Ministerio excidit; Laicus a Communione removetur.

*Error de duabus hominis animabus damnatur.*

*Canon undecimus*, anathemate percellit pravam opinionem de duabus hominis animabus, quam *Photius* docuerat, teste *Anastasio Bibliothecario* in Præfatione 8. Synodi, tanquam Veteri, & Novo Testamento, & omnibus Deiloquis Patribus, & Magistris Ecclesiæ repugnantem.

* *Canoni XII. Synodi VIII Nominationes Episcoporum a Regibus Christianissimis factæ, non repugnant.*

*Canon duodecimus*, reprobat promotiones, & Consecrationes Episcoporum potentia, & mandatis Principum factas, seu Apostolicis, & Synodicis contrarias Canonibus: deponendumque decernit, qui per versutiam, id est malas artes, vel tyrannidem Principum hujusmodi dignitatis consecrationem susceperit; *Utpote, qui non ex voluntate Dei, & ritu, ac Decreto Ecclesiastico, sed ex voluntate carnalis sensus ex hominibus, & per homines Dei domum possidere voluit, vel consensit.* Necessitati assensus Regii in Galliis ab ipsius Monarchiæ Christianis-

nissimæ exordio institutæ, & Synodi Aurelianensis. V. Canone confirmatæ; vel Regiæ Nominationi, quam plerumque in Gallicana Ecclesia obtinuisse Historiæ Francorum Monumenta testantur, & cujus tandem jus perpetuum Christianissimis Regibus per *Concordata* collatum est, Canon iste Synodi Octavæ non repugnat. Neque enim malis unquam artibus, neque tyrannide, Principes nostri Episcopos nominarunt, sed patrocinii, & tuitionis Ecclesiæ jure, cujus filios primogenitos, & devotissimos se exhibuere, & eadem Ecclesia permittente, ob Ecclesiæ ipsius bonum; vel tandem jus illud ipsis conferente scripto, & solemni ritu promulgato Privilegio, & Contractu, seu *Concordatis*; Quæ cum Regiam Nominationem Summi Pontificis Judicio subjiciant, ejusque Confirmationem, & Diploma statuant necessaria, ut nominatus a Rege consecrari possit Episcopus, Octavæ Synodo non adversantur, solam intrusionem per tyrannidem, aut versutiam Principum damnanti.

*Canon decimus tertius*, ad Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Dignitates assumi neminem jubet, nisi ex ejusdem Ecclesiæ Clero: ad quem admitti vetat domesticos Virorum Principum Clericos, aut qui Nobilium bona curant: ne scilicet eorum favore, & potestate ad Ecclesiasticas Dignitates, aut Patriarchatum ipsum obtinendum, vel usurpandum, eorum juvetur ambitio.

*Ignava quorumdam Episcoporum, humilitas arguitur.*

*Canon decimus quartus*, ignavam humilitatem quorumdam Episcoporum arguit, qui sui gradus, & honoris obliti, sacram dignitatem dehonestabant, Palatinis, aut quibuslibet Principibus Viris, procul ab Ecclesiis suis obviam euntes; aut ex equo, vel mulo desilientes reverentiæ illis exhibendæ causa; aut ad mensam Principum in Palatinos adstantes. Jubet autem eos debita Regibus, & Principibus Viris reverentiæ, & urbanitatis officia exhibere, quæ spiritualem suam digni-

tatem, & honorem non deprimant, aut obnoxiam contemptui faciant; minuantque Auctoritatem arguendi, emendandi ſtrategos, & quoslibet in dignitate ſæculari conſtitutos, ipſosque Principes, prout ex officio tenentur. Epiſcopum vero, qui proprium honorem contempſerit, ac præter iſtum Canonem egerit, anno uno; Principem duobus, a Communione ſegregat S. Synodus.

*Bonorum Eccleſiæ alienatio vetita.*

*Canon decimus quintus*, vaſa ſacra vetat alienari, niſi ob redemptionem captivorum: vetat etiam Eccleſiæ prædia, & quaſcunque poſſeſſiones in emphyteuſim tradi. Omnem Eccleſiaſticarum rerum adminiſtrandarum poteſtatem permittit Epiſcopo, qui illas augere curet. Exauctorationis pœnam in eos, qui Decretum iſtud violaverint, decernit Sancta Synodus. Venditionem, emphyteuticam traditionem, quamvis alienationem bonorum Eccleſiaſticorum ab Epiſcopo in Scriptis, aut ſine ſcriptis factam, in irritum mittit: Anathemate ferit eos, qui aliquid ex vaſis, prædiis, aut quibusvis bonis Eccleſiæ emerint, aut perceperint, donec illud reſtituerint; & venditionis, aut emphyteuticæ traditionis contractum reſcindendum reddiderint. Jubet præterea, ut Epiſcopus Monaſterium, quod ex Eccleſiæ bonis exſtruxerit, eidem Eccleſiæ tradat. Si vero ex propriis facultatibus, illud habeat in propria poteſtate, quamdiu vixerit: & moriturus, cuicunque voluerit, conferat, aut dimittat; modo in ſæculare diverſorium non mutetur. Ex hoc perſpicuum eſt, Monaſteriorum Fundatores, non ſolum Jus Patronatus in illis obtinuiſſe, ſed veram proprietatem, quam transmittere poterant ad hæredes. Qui tamen loca ſemel Deo dicata in profanos uſus convertere non poterant.

*Canon decimus ſextus*, eos, qui rebus ſacris illudunt, percellit anathemate. Huic Canoni condendo *Michael* temulentus Imperator occaſionem dedit: qui *Theophilum*

lam Proto-Spatharium, scurram insignem, Patriarcham per ludum agere, & homines sui similes, profanos, impuros, sacrilegos, veluti consecrare, & sanctissima Religionis Mysteria, & ritus, velut in scena imitari, & exhibere jussit, voluptatem ex hujusmodi sacrilegiis captans singularem, de quibus palam his verbis gloriabatur: *Mihi Theophilus, Bardæ Cæsari Photius, Christianis Ignatius est Patriarcha.* Id refert *Nicetas* in Vita S. Ignatii.

*Canon decimus septimus*, asserit Patriarchis Jus convocandi Metropolitanos universos, qui ab ipsis sive per manus impositionem, sive per dationem Pallii, Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt. Posse autem vocari duabus de causis declarat, vel ad Synodalem Conventum; vel ad emendationem, cum aliquibus criminibus accusantur. Quorumdam vero Metropolitanorum inanem excusationem repellit, qui ab Apostolico Præsule vocati a sæculi Principibus detineri se causabantur, ne ad ejus mandata occurrerent. Hanc nullius esse ponderis declarat Synodus. *Cum enim Princeps pro suis causis conventus frequenter agat, impium est, ut Summos Præsules a Synodis pro Ecclesiasticis negotiis celebrandis impediant, vel Episcopos ab eorum Conciliis prohibeant.* Alteram excusationem rejicit nihilo meliorem, Concilia se bis in anno celebrare debere, Metropolitani respondebant, adeoque se Concilio Patriarchali adesse non posse. Reponunt Octavæ Synodi Patres, Concilia Patriarchalia longe utiliora esse Provincialibus; proinde Metropolitanos istis adesse debere, & illa non negligere. Porro, quod nonnulli rerum Ecclesiasticarum ignari effutiebant, Synodum absque præsentia Principis celebrari non posse, rejicit, ceu damnandum errorem: *Cum nusquam Sacri Canones convenire sæculares Principes in Conciliis sanxerint, sed solos Antistites. Unde nec interfuisse illos Synodis, exceptis Conciliis Universalibus invenimus. Neque enim fas est sæculares Principes spectatores fieri*

*Metropolitæ Patriarchæ ad Synodum vocati, vel alias ob causas Canonicas parere debent, nec a Principibus debent detineri.*

*Synodus absque præsentia Principis celebrari potest.*



re-



*rerum, quæ Sacerdotibus Dei nonnunquam eveniunt.* Denique Metropolitanum, qui a Patriarcha suo vocatus, non paruerit, nisi gravi infirmitate aut Barbarorum incursu detineatur, a Communione removet S. Synodus: si vero per annum contumax permanserit, dignitate statuit exuendum.

*Jus Regum Christianissimorum, ne quis Episcoporum absque licentia exeat e Regno, propugnatur, & cum Synodi 8. Can. 17. conciliatur.*

Moribus in Gallia receptis, Canon iste in duobus capitibus videtur adversari. Nam & Synodis Nationalibus, aut Provincialibus olim Christianissimi Reges aderant: & Episcopi a Romano Pontifice vocati, discedere non poterant a Regno absque consensu Principis. Jus illud Regibus nostris quæsitum acriter propugnant doctissimi Antistites, *Petrus de Marca* Parisiensium Archipræsul. *lib.* 2. *de Concordia Sacerdotii, & Imperii*, *c.* 17. & *Franciscus Bosquettus Montis Pessulani Episcopus*, *in suis Notis ad Epistolas Innocentii III. ad Epistolam* 8. *libri* 2. aliique Gallicani Scriptores. Eum consensum necessarium agnovisse Pontifices Maximos asserit *Bosquettus*, idque probat ex Epistola *Nicolai I.* ad *Rotbadum* Suessionensem Episcopum scribentis: *Stude quantum poteris, cum tibi Rex, & Episcopi, quemadmodum statuimus, licentiam dederint Romam properandi, mox utcunque venire non differas.* Testem illius moris laudat *Hincmarum* Remensem Archipræsulem in Epistola ad *Hadrianum II.* Romanum Pontificem, in qua de *Hincmaro* Laudunensi Episcopo, nepote suo, quem Pontifex Romam vocaverat, ita scribit: *Vestra sciat Auctoritas, quia nec Hincmarum, nec etiam quemlibet Episcoporum Diœceseos* Remorum, *minime autem aliarum Provinciarum Episcopos, nisi Dominus Rex illis præceperit, Romam, vel in aliquam partem mea commendatione mittendi habeo potestatem. Nec ipse ego ultra fines Regni sui absque illius licentia egredi valeo.* Quæ de hoc Disciplinæ capite *Bosquettus*, & *Marca* Præsules scripsere, *Christianus Lupus*, in Scholiis ad hunc Canonem, *Eusebio Nicomediensi, aut Acacio Constantinopolitano Episco-*

*scopo*, *quam Orthodoxis Ecclesiæ Gallicanæ Antistitibus aptiora esse*, ait. *Hincmari*, utpote *secundi Dioscori*, *Novi Pharaonis ab hac Synodo damnati*, Auctoritatem nullius esse ponderis. *Idem esse Hincmari Remensis adversus præsentem Canonem*, *ac Martini Lutheri adversus Sacrosanctam Synodum Tridentinam Auctoritatem adducere*, *&c.* Sed acerbiori stylo doctissimos Antistites, & *Hincmarum*, cujus nituntur testimonio, proscindit Vir Eruditus. Non negarunt illi summam esse Romani Pontificis, ut totius Occidentis Patriarcha est, & multo magis ut Pontifex est, potestatem vocandi Gallicanos Metropolitanos *ad Synodalem Conventum*. Sed propugnarunt necessariam esse licentiam Regis, secundum Regni mores, & Gallicanæ Ecclesiæ Disciplinam, ut Episcopi e Regno discedant, sive Romam, sive alio ituri, etiamsi a Romano Pontifice vocentur. Quo casu Principi Mandata Pontificis exponere debent, & vocationis causas. Quæ si canonicæ fuerint, nec aliæ obsint causæ legitimæ, & maxime si Reipublicæ paci nullum inde periculum immineat, integrum non erit Principi ipsos detinere, eisque licentiam recusare. Quamquam si recuset, ejus Majestati parere debeant Antistites, & impossibilitatem profectionis suæ, cum ea, qua par est reverentia, Summo Pontifici excusare. Nunquam sane Christianissimi Reges Episcopis Regni sui prohibuere, ne Romano Pontifici ad Synodum pro bono Ecclesiæ legitime congregatam vocanti parerent, sed pro votis Vicarii Christi ipsos misere, cum id res Ecclesiæ postularunt. Sic *Pippinus* Rex Christianissimus duodecim Episcopos ad Romanam Synodum misit Stephano IV. postulante. Concesserunt pariter licentiam Episcopis ad Romanam Sedem appellantibus adeundi Apostolorum limina. Sic *Gunthramnus Solonio*, *& Sagittario* Episcopis in Synodo Gallicana depositis permisit appellationem suam ad Romanum Pontificem persequi, & Romam se conferre, ut testatur *Gregorius Turonensis* lib. V. Historiæ Ecclesiasticæ Francorum, cap. XX.

*Christiani Lupi adversus doctissimos Gallicanæ Ecclesiæ Præsules insultus repelluntur.*

*At illi*, inquit, *cum adhuc propitium ſibi Regem eſſe noſſent, ad eum accedunt, implorantes ſe injuſte remotos, ſibique tribui licentiam, ut ad Papam urbis Romæ accedere debeant. Rex vero annuens petitionibus eorum, datis epiſtolis eos abire permiſit.*

*Epiſt.* 85. *Cod. Carol. VII. apud Sirmondum Tom. II Concil. Galliæ.*

Si de Gallicanæ Eccleſiæ moribus teſtis non eſt acceptus Patri *Lupo Hincmarus* Archiepiſcopus Remenſis, erit forſan *Hadrianus I.* ad *Carolum Magnum* ſcribens: „ Sicut enim veſtra Regalis Excellentia in ſuis „ tulit apicibus, minime ei contrarium videretur, „ quicunque de Epiſcopis aut Comitibus, ſeu cæteris „ hominibus, partibus veſtris, aut veſtram juſſionem „ complendi, ſive propria voluntate, ad vos venire „ voluerint: ſed nec noſtræ Paternitati diſplicere re- „ ctum qualiscunque ex noſtris, aut pro ſalutationis „ cauſa, aut quærendi juſtitiam, ad vos properave- „ rit. Nihil durius vobis exinde apparet. Sed ſi- „ cut veſtri homines, ſine veſtra abſolutione ad li- „ mina Apoſtolorum, neque ad nos conjungunt: ita „ & noſtri homines, qui ad vos venire cupiunt, cum „ noſtra abſolutione, & Epiſtola veniant. Quia ſi- „ cut nos ſemper veſtros homines ſuſcipientes com- „ monemus, ut in vera fide, atque puritate cordis, „ totis eorum viribus in veſtro maneant ſervitio: ita „ & vos ſimili modo, quicunque ex noſtris hominibus „ ad vos venerint, eos omnino obteſtari, atque com- „ monere veſtram Regalem Prudentiam quæſumus, ut „ ſicut Genitor veſter ſanctæ recordationis Dominus „ Pippinus Magnus Rex, eos B. Petro, ejusque Vi- „ cario conceſſit, & demum Excellentia veſtra con- „ firmavit, ſic admonere, atque obteſtari jubeamini, „ ut nullo modo audeant ſe in ſuperbiam elationis „ efferre, quando ad vos properarunt; ſed potius „ ſubjecti, atque humiles in ſervitio B. Petri, & „ noſtræ præceptionis maneant ſubjecti. „ Quod *Hincmarus* ſcripſit, antea ſcripſerat *Hadrianus I.* Pontifex Maximus. Non ſunt igitur illa fœda, & Catholico

Epi-

Episcopo indigna, ut *Lupus* ait Gallicanis Præsulibus doctissimis insultans; non *Eusebii Nicomediensis*, aut *Acacii Constantinopolitani* perduellium Episcoporum spirant contumaciam, sed Magni Pontificis prudentiam. Ejusdem moris testis est *Rothadus* Suessionensis Episcopus in Libello Appellationis ad Summum Pontificem *Nicolaum I.* in quo de Rege Christianissimo *Carolo Calvo* ita scribit: *Obnixis precibus postulavi per Leudonem Diaconum, ut Dominus Rex locum mihi indulgeret secum loquendi. Qui mox pro sua pietate ad me indignum venire dignatus est, meque benigne audivit, sed exaudire non est permissus. Nam, cum illum valde suppliciter, anxieque rogarem, ut mihi Romam eundi libertatem, sicut ipse concesserat, non tolleret, Sanctamque Apostolicam Sedem in suis Privilegis honoraret; respondit, Hoc ad meum specialiter Metropolitanum, Sanctumque pertinere Conventum; se tantum sacris Episcoporum monitis, ac dispositionibus humiliter obediturum profitebatur.* Nusquam rescripsit *Nicolaus I.* Regis consensum non esse necessarium, aut *Rothaldum* licentiam exeundi e Regno, & Romam petendi, ab ipso postulare non debere, sed solum ipsi injuste negari malis artibus *Hincmari*, qui Regis animum occupabat: Canonesque, & Privilegia Sedis Apostolicæ violari, per vim detinendo Episcopum, qui a Synodi Sententia ad Romanum Pontificem appellaverat. Id ex epistolis *Nicolai I.* ad *Carolum Calvum*, & ad *Hincmarum* ea in causa datis compertum est. (28. 29. 30. & 31.)

Nec immerito succensebat eam ob rem *Carolo Calvo* Regi, & *Hincmaro* Archiepiscopo *Nicolaus* Papa, cum ipsis Capitularibus sancitum sit, ut in similibus caussis licentia petendi Romam Episcopis concedatur (Lib. VI. Cap. LXIV.) *Si litem habuerit Episcopus, cum alio Episcopo, non alterius, sed suæ Provinciæ Judices quærat. Et ut judicato in aliqua causa Episcopo liceat iterare Judicium, & si necesse fuerit, libere Epi-*

*scopum adire* Romanum. Poteſt itaque Romanus Pontifex vocare Gallicanos Epiſcopos Romam, ſive ob Synodum, ſive ob alias cauſas canonicas: non tamen poſſunt Romam proficiſci absque licentia Regis, cum ſint ejus ſubditi, eique fidelitatem juraverint: & ſicut Summus Pontifex ipſos vocat pro jure ſuo, cum id Eccleſiæ res poſtulant, ita Rex ipſos retinet pro jure ſuo, cum id Regni bonum, & pax exigit, rationesque ſuas cum reverentia exponit Pontifici Maximo, qui eas gratas habet. Hæc certe nequaquam pugnant, nequaquam Sedis Apoſtolicæ jura convellunt, nequaquam ex *Euſebii*, aut *Acacii* Conſtantinopolitani officina proficiſcuntur, ut ait Pater *Lupus*. Unde *Hincmarus*, ille, qui Gallicanos Epiſcopos absque Regis licentia Romam, vel alio proficiſci non poſſe propugnavit *Hincmarus*, Jus nihilominus vocandorum ſecundum Canones Epiſcoporum in Summo Pontifice agnoſcit, in Epiſtola ad *Nicolaum I.* quam refert *Flodoardus* lib. III. cap. XIII. „ Quia, *inquit*, omnes ſenes cum junioribus ſcimus, „ noſtras Eccleſias ſubditas eſſe Romanæ Eccleſiæ, „ & nos Epiſcopos in Primatu B. Petri ſubjectos eſſe „ Romano Pontifici, & ob id ſalva fide, quæ in illa „ Eccleſia ſemper viguit, & Domino cooperante florebit, nobis eſt veſtræ Apoſtolicæ Auctoritati obediendum . . . . Propterea locutus cum fideliſſimo „ filio veſtro, Domino meo Rege glorioſo, illi replicavi, quod ſæpe inculcavi, quodque libentiſſime accepit, & adimplere cupit; quia ſicut Domini eſt terra, & plenitudo ejus orbis terrarum, „ & univerſi, qui habitant in eo: & ipſius eſt Regnum, & cui voluerit, dabit illud: ita ipſe ſupra fundamentum Apoſtolicæ Petræ ſuam fundavit Eccleſiam, quam & ante Paſſionem, & poſt „ Reſurrectionem ſuam ſpeciali cura, & ſingulari „ Privilegio B. Petro, & in illo ſuis commiſit Vicariis: cujus Sedem, ſuæque Sedis Pontificem „ qui honorat, illum honorat, qui dixit: Qui acci-

*Fides in Eccleſia Romana ſemper viguit, & Deo cooperante florebit.*

*Summi Pontificis auctoritati obediendum.*

„ pit

„ pit, si quem misero, me accipit . . . . Idcirco, „ quia multi sciunt, & quidam inde aliter dicunt, „ & omnes generaliter sciunt, quoniam vestra Au- „ ctoritas illum cum nostris Vicariis ad suum præ- „ cepit destinari Judicium, dignum, & justum est, „ ut quemcunque Episcopum Romanus Pontifex ad „ se Romam venire mandaverit, si infirmitas, vel „ gravior quæcunque necessitas, vel impossibilitas, „ (sicut sacri præfigunt Canones) eum non detinue- „ rit, ad illud venire studeat: multo magis etiam is, „ quem pro tali querela ad se, quocunque modo „ clamantem, præsentiæ suæ judicat exhibendum. „ Et quicunque viderit, vel audierit, quod Rex, & „ Episcopi Apostolicæ Sedis Summum Pontificem „ prompte obaudiunt, & honorant, promptius, & „ humilius eis subjecti sui obedient. „ In hac ipsa Epistola testatur *Hincmarus*, se licentiam a Rege obtinuisse, ut *Rothadus* Romam libere proficiscatur: *Nunc autem, sicut jussistis, ad vestram præsentiam, & dispositionem illum perduci, apud Dominum nostrum Regem, filium vestrum obtinuimus.*

Denique, si *Hincmaro* Archiepiscopo Remensi de Gallicanæ Ecclesiæ, Regnique moribus testimonium dicenti majorem fidem adhibere nolit *P. Lupus*, quam *Luthero*, de Sacra Synodo Tridentina loquenti (quod an prudenter dictum sit, cordatus Lector judicet) quid opponet adversus Auctoritatem *Flodoardi*, qui eam non semel asserit consuetudinem Regni, jusque Regum Christianissimorum in *Historiæ Ecclesiæ Remensis*, lib. 1. cap. 20. *Temporibus*, inquit, *Chilperici Francorum Regis extitisse fertur Moderamnus Redonensis Ecclesiæ Præsul, qui per licentiam prædicti Regis limina Sancti Petri adire disponens, divertit in Monasterium B. Remigii.* Et *lib. II. cap. XVIII. Vvulfario* Episcopo Remensi, qui *Carolo Magno* imperante, illam Ecclesiam rexit, ita scribit: *Eundi denique Romam causa orationis ad S. Petrum, licentiam ab Impera-*

*peratore se accepisse in quadam sua designat Epistola; sed utrum ierit, certum non habemus.* Et lib. IV. cap. IV. *Fulconem* Remensem Archiepiscopum a *Stephano* VIII. Romam vocatum ad Synodum, respondisse refert, se pariturum, *Si aliqua* Regno *quies concessa fuerit, & ab Odone Rege licentiam impetrare voluerit.*

Ejusdem testis est disciplinæ *Philippus Augustus* Rex Francorum in Epistola ad *Lucium III.* Pontificem Maximum, quam ejus nomine scripsit *Stephanus Abbas Sanctæ Genovefæ*, & Tornacensis postea Episcopus. *Concurrant*, inquit, *& respondeant priscis diebus hodierna tempora, Pater, ut nec Regnum Sacerdotio, nec Sacerdotium desit Regno. Impugnant adolescentiam nostram, & auspicia Regni nostri perturbare contendunt Potentes, & qui multiplici ex causa fidem nobis debuerant, infideles adversarii, quorum improbitate compellimur, & consilia nova quærere, & auxilia corrogare. Adsistit nobis super omnes amicos, & fideles nostros charissimus avunculus noster Vuillelmus* Remensis *Archiepiscopus, in consiliis nostris oculus vigilans, in negotiis dextera manus. Eum vel ad tempus recedere a nobis, succedere est hostibus nostris. Vocastis eum, Pater, sicut audivimus, &, ut præsentiam suam Vobis exhibeat, sacris apicibus vestris invitastis. Paratus erat parere, & apparere Vobis, peccato ariolandi simulacrum inobedientiæ comparans, & voluntatem non acquiescendi vobis tanquam scelus idololatriæ detestans. In articulo summæ necessitatis nostræ, confidentes de præcipua dilectione vestra, retinuimus eum, clavum in oculis hostium, & in lateribus eorum lanceam, sine ipso fieri nihil æstimantes, sive de pace, sive de bello cum hostibus sit agendum . . . . Gratum sit Vobis, Pater, quod in tanto discrimine Regni, tantum Amicum nostrum retineamus, cujus præsentia nobis est necessaria, & absentia perdamnosa; & quoniam magnum, & cordi nostro profunde insitum est negotium, mittimus ad vos familiarem nostrum Stephanum Abbatem Sanctæ Genovefæ, discretum, & fidelem Regno, quem in loco nostro benigne susci-*

*suscipite, & ei, tanquam nobis in his, quæ ex parte nostra vobis dixerit, indubitanter fidem adhibete.* Ex quibus constat 1. Juris esse Romani Pontificis, Gallicanos, ut quosvis aliarum Ecclesiarum Episcopos Romam vocare, cum id postulant Ecclesiæ negotia, & ipsos ad parendum Sedis Apostolicæ mandatis paratissimos esse debere. Secundo, officii ipsorum esse, ut rem cum Rege Christianissimo communicent, & ab ejus Majestate, cui fidelitatis Sacramento sunt adstricti, licentiam exeundi e Regno postulent. Tertio, Regem ipsos Jure detinere non posse, ac prohibere, ne Summo Pontifici pareant, nisi gravissima Regni negotia, necessitas, aut utilitas Regia ipsos in Regno retinere compellant. Quarto, eo in casu pietatis esse Regiæ, ut rationes illas Summo Pontifici generatim saltem exponat, quas Vicarius Christi æqui, bonique ducet.

Eodem modo se gessit idem Rex *Philippus* ad eundem Pontificem scribens pro Turonensi Archiepiscopo, quem ille Romam vocaverat, de causa Dolensis Archiepiscopatus noviter erecti, seu potius confirmati responsurum. *Charissimum*, inquit, *ac fidelem nostrum Turonensem Archiepiscopum suggestione quorumdam, & favore infra brevissimi temporis angustias, vocastis, ut de causa, quæ magis nostra est, quam sua respondeat, & statum Coronæ nostræ in ancipiti statera ponat, periculosum sane, & ignominiosum nobis, & posteris, qui succedent. Proinde Sanctitati vestræ preces ex toto corde prodeuntes fundimus, ut intuitu Dei, & pacis Regni Francorum, quæ in hoc articulo, si processerit, peritura est, a causa ista penitus desistatis. . . . . Quod, si forte, quod non credimus, inexorabilem Vos invenerimus, usque ad congruum tempus, quo Dominus pacem, & quietem Regno nostro dare voluerit, Archiepiscopo nostro Turonensi dilationes indulgeat Benignitas vestra, quoniam propter necessarias Regno nostro causas eum retinuimus. Primo, propter difficillimam, quam cum Comite*

*Flandriæ guerram habemus. Secundo, propter motus plusquam civiles, qui in Provincia Britanniæ insurgunt inter Principes ejusdem Provinciæ, & Regis Anglorum filios. Tertio, propter proximum Colloquii terminum, quod cum Imperatore post Pascha, Deo volente, sumus habituri, in quibus omnibus, ipsius Archiepiscopi industria, præsentia, consilio, & auxilio indigemus. Sciat autem Paternitas vestra, quoniam in generali Conventu nostro, quem in initio Quadragesimæ propter hanc causam, & alias Regni necessitates Parisiis convocavimus, consilio Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac Baronum nostrorum, prædictum Archiepiscopum ab incepto itinere retinuimus, utpote necessarium nobis, & utilem rebus inceptis, & per Dei gratiam ad honorem Regni nostri peragendis.* Ex quibus rursus patet jus Romani Pontificis, & Regis Christianissimi: illius quidem, ut Episcopos Romam vocet pro Ecclesiasticis negotiis: hujus vero, ut illos retineat, si *necessariæ Regni causæ* id postulent, rationes suas cum reverentia debita Romano Pontifici exponendo, & Episcoporum moram apud ejus Sanctitatem excusando. Quas rationes, cum justæ sint, gratas habet Christi Vicarius, nec ægre fert suis mandatis non fuisse obtemperatum, quia dilata est potius obedientia, quam negata: & ut differretur, contumacia non fecit, sed necessitas compulit. Ejusdem sunt testes Disciplinæ Gallicani Episcopi ad Bonifacium VIII. scribentes, a quo Romam vocati fuerant: *Eidem*, inquiunt, *Domino nostro Regi humiliter supplicantes, ut cum Apostolicæ Sanctitati ad obedientiam teneamur, ad Beatitudinis vestræ pedes, juxta præmissæ vocationis vestræ tenorem, permitteret nos transferre. Ex parte cujus, & Baronum est secuta responsio; quod nos nullo modo abire permitterent: Regnum sic periculose, sic deformiter, sic irreparabiliter vacuari, quin potius exhauriri totaliter, nullatenus sustinerent.*

Canon porro Synodi octavæ, cujus occasione hæc adversus *P. Lupum* observavimus, non morem legitimum postulandi licentiam a Principe, cum ad Apostolicum Præsulem ire necesse est, improbat; sed inanes Metropolitanorum quorundam excusationes, qui auctoritate, & gratia, qua valebant apud Regem abutebantur, ut suæ profectioni Regiis mandatis opponi impedimentum obtinerent, cum a suo Patriarcha vocabantur, vel se detineri mentiebantur, ut inobedientiam excusarent. *Sed quoniam*, inquit, *sunt quidam Metropolitanorum, qui ne secundum vocationem Apostolici Præsulis occurrant, a mundi Principibus se detineri sine ratione causantur, placuit talem excusationem omnimodis esse invalidam. . . Licet tale impedimentum, & fictam probibitionem Metropolitanorum suggestione diversis modis fieri didicerimus.* Concilium quidem solam ægrotationem validam, aut Paganorum incursum admittit velut legitimas excusationis causas, quominus vocati a Patriarcha proficiscantur, Episcopi; sed aliam quoque habuit pro legitima, habetque etiamnum Gallicana Ecclesia, Sede etiam Apostolica probante, scilicet detentionem Regis; cujus licentia necessaria est. Quoad hoc itaque, & similia disciplinæ, & Politiæ Ecclesiasticæ capita Synodi Ephesinæ regula observatur in decreto de Ecclesia Cypriorum: *Placuit Sanctæ, & Oecumenicæ Synodo, ut unicuique Provinciæ pura, & inviolata, quæ jam inde ab initio habuit, sua jura serventur, juxta veterem consuetudinem . . . ne Patrum Canones prætereantur, neve sub Sacerdotii prætextu mundanæ Potestatis fastus irrepat, ne clam paulatim libertas amittatur, quam nobis donavit Sanguine suo Dominus noster Jesus Christus omnium hominum liberator.* Sed hac de re impræsentiarum plusquam satis ad repellendos *P. Lupi*, viri alioquin eruditi, in doctissimos Gallicanæ Ecclesiæ Præsules insultus. Nunc eo, unde digressa est, revertatur oratio.

*Ecclesiæ possessio tricennali præscriptione firmatur.*

*Canon decimus octavus* Synodi VIII. res, & Privilegia Ecclesiæ triginta annorum possessione adversus quosvis impugnatores secura fore constituit. Eosque, ut sacrilegos percellit anathemate, donec se emendaverint, & res, vel privilegia hujusmodi restituerint.

*Canon decimus nonus* prohibet, ne Metropolitani sub Visitationis fuco Suffraganeorum suorum Ecclesias adeant, ipsisque sint oneri. *Si enim unumquemque Episcopum Ecclesiæ propriæ rebus cum multa parcitate uti, & nullatenus in proprias utilitates importune, ac sine ratione dispendere, vel consumere reditus Ecclesiasticos sacri Canones decernunt:* Multo majoris impietatis reus est, *qui aliis Episcopis commissas Ecclesias gravare, & per hoc in sacrilegii crimen incidere non formidat.* Illam autem avaritiam sacrilegam vocant octavæ Synodi Patres, quia reditus Ecclesiarum sunt *alimenta pauperum.* Qui hunc violaverit Canonem, secundum avaritiæ, & injustitiæ suæ modum etiam depositione, aut sequestratione a Patriarcha plectitor.

*Canon Vigesimus* perstringit Episcopos, qui Ecclesiæ bona in emphyteusim, aut precarium data eripiebant iis, quibus tradita erant occasione, quasi ruptæ fidei circa pensionis pactum. Id fieri vetat Synodus, nisi prius denunciatum fuerit illi, qui emphyteusim contraxit, ipsum a locis, quæ tenet, propellendum, nisi solverit usque ad tres annos destinatum tributum census. Porro si non impleverit conditionem, convincetur coram Præpositis urbis, vel regionis; probatoque ejus contemptu, Ecclesia illorum Sententia, & judicio bona propria in possessionem recipiet. Ratio hujus prohibitionis est, suspicio turpis lucri, & avaritiæ, a qua Sacerdotes penitus alieni esse debent. Istius Canonis transgressorem ad tempus sequestrari Synodus edicit, & reddere loca, quæ per vim abstulit ab eis, qui bona fide cum Ecclesia con-

contraxerant; & etiam deponi, si pertinax in contentione, & contumax fuerit.

*Canon vigesimus primus* anathemate plectit sæculi Principes, aut quosvis Proceres, vel Magnates, qui reverentiam, & honorem Patriarchis, Romano, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano debitum violaverint, sed præcipue eos, qui injuriam Sedi *S. Petri* Apostolorum Principis intulerint, sicut *Dioscorus*, & *Photius* fecere: vel qui Patriarcharum aliquem, & præsertim Romanum Pontificem, e suo Throno exturbare moliti fuerint; aut fictis criminibus, famosis libellis, prædatoriis Synodis incessere ausi fuerint. *Porro si Synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas, & controversia, opportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, aut profectum facere; non tamen audacter Sententiam dicere contra Summos Senioris Romæ Pontifices.*

***Cavetur ne Synodus, etiam universalis, Sententiam in Romanum Pontificem audacter dicat.***

*Canon vigesimus secundus*, Promotiones, & Consecrationes Episcoporum Comprovincialibus Episcopis asserit: vetat, ne laici Principes, vel Potentes electioni Patriarchæ, Metropolitani, aut cujusvis Episcopi se immisceant. Quisquis autem sæcularium Principum, vel potentum adversus Canonicam electionem Ecclesiastici Ordinis agere tentaverit, anathema esto. Cooperari tamen sacris electionibus possunt, si ab Ecclesia invitentur, inquit sancta Synodus. Possunt etiam Principes Episcopos nominare, si id juris ipsis contulerit Ecclesia. Electionum libertatem ubique restitui voluit Octava Synodus: non tamen consensus Regii necessitatem in Gallicana Ecclesia exclusit. Hinc *Ivo* Carnotensis Episcopus in Epistola ad *Hugonem* Lugdunensem Primatem scribit: *Reges Apostolica auctoritate a concessione Episcopatuum prohibitos minime videmus. Legimus enim sanctæ recordationis Summos Pontifices aliquan-*

***Episcopalium Electionum libertas.***

*Ep. LX.*

do

*do apud Reges pro Electis Ecclesiarum*, *ut eis ab ipsis Regibus concederentur Episcopatus*, *ad quos electi erant*, *intercessisse; aliquorum*, *quia concessiones Regum necdum consecuti fuerant*, *consecrationes distulisse. Quorum exempla supposuissemus*, *nisi prolixitatem Epistolæ vitassemus. Dominus quoque Papa Urbanus* * *Reges tantum a corporali Investitura excludit*, *quantum intelleximus*, *non ab electione*, *in quantum sunt Caput populi*, *vel concessione: Quamvis octava Synodus solum probibeat eos interesse electioni*, *non concessioni.* Episcopatus concessio est consensus datus electioni, seu personæ electæ approbatio, & Investitura, seu traditio bonorum, & feudorum, quæ Ecclesia possidet maximam partem ex Regum beneficiis. Id per concessionem Episcopatus *Ivonem* significasse constat ex illius Epistola ad *Paschalem II.* pro *Gualone* electo Ecclesiæ Bellovacensis. Rex, inquit, *non vult electioni assensum præbere*, *nec electo bona Episcopalia dimittere.*

*Urbanus I.*

*Canon vigesimus tertius* sub pœna segregationis prohibet Episcopis, ne alienæ Ecclesiæ possessiones invadant, conferant, aut locent; aut in alienis Ecclesiis Presbyteros, aut Clericos constituant absque voluntate Episcopi, cui sunt subditæ. Vetat etiam Presbyteris, & Diaconis, ne sacris operentur in Ecclesiis, in quibus ab initio sortem minime consecuti sunt, sive pro quibus non sunt ordinati. Qui secus fecerint, segregantor, donec ad propriam redeant Ecclesiam; si segregationem contempserint, ab omni gradu & honore sacro dejiciuntor.

*Presbyterorum, & Diaconorum Mansio in Ecclesiis, pro quibus sunt ordinati.*

*Canon vigesimus quartus* castigat Metropolitanorum quorumdam negligentiam, & desidiam, qui curis sæcularibus impliciti, subditos sibi Episcopos per vices vocabant ad Metropolitanam Ecclesiam, eosque Episcopalia ibi Ministeria obire cogebant, propriis etiam stipendiis, iisque velut Clericis utebantur. Id *Satanicæ jactantiæ*, *& superbiæ* arguit sancta Synodus, & Me-

Metropolitas, qui non per ſe, ſed per Suffraganeos, Epiſcopos debita Miniſteria in propria civitate impleverint, a Patriarcha plecti jubet, ac niſi emendentur, deponi.

*Canon vigeſimus quintus* Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, etiam a *Methodio*, & *Ignatio* ordinatos, qui *Photio* pertinaciter adhærebant, depoſitos declarat absque ulla ſpe reſtitutionis.

*Canon vigeſimus ſextus* Clericis a propriis Epiſcopis depoſitis, vel injuriam paſſis, ad Metropolitam, Epiſcopis a Metropolita injuſte exceptis ad Patriarcham appellandi liberam facit poteſtatem.

*Canon vigeſimus ſeptimus* vetat, ne Epiſcopi, quibus Palii uſus conceſſus eſt, eo utantur extra tempora, & loca per ſacros Canones conſtituta. Vetat etiam, ne Monachi ad Epiſcopatum aſſumpti Monaſticam veſtem exuant ex ſuperbia, & faſtu, *Ne per hoc inveniantur propriorum transgreſſores pactorum.* Qui ſecus fecerint, aut corriguntor, aut a proprio Patriarcha deponuntor. *Monachi ad Epiſcopatum promoti, Monaſticam veſtem exuere non debent.*

His Canonibus actione X. conditis, ac promulgatis, lecta eſt in eodem Conſeſſu Definitio Synodi, in qua omnibus hæreſibus, quæ hucusque emerſerant, & a præcedentibus Conciliis fuerant proſcriptæ, anathemate percuſſis, *Photii* damnatio confirmata eſt, nec non eorum, qui ipſi pertinaciter adhæſerunt. Poſt hæc, *Baſilius* Imperator exploravit, an omnes Synodi Definitioni, ac Decretis aſſenſum præberent. Conclamarunt univerſi: *Omnes ita ſapimus, omnes ita prædicamus, omnes concinentes, & conſentientes prompte ſubſcribimus. Hoc eſt veritatis Judicium, hoc juſtitiæ Decretum, hæc eſt Canonum expoſitio, hæc Eccleſiaſticæ Ordinationis defenſio.* Tum lecta eſt Imperatoris gratiarum *Definitio Synodi.*



tiarum actio cum adhortatione gravissima, tum ad Episcopos, cum ad Laicos. Decretum deinde est, Acta singulorum subscriptionibus esse munienda, secundum Synodicam consequentiam. Et primus quidem subscribendi locus Imperatori delatus est a Synodo honoris gratia. At ipse pietatis, ac Regiæ humilitatis argumentum dedit, sibi quidem in animo fuisse asserens, ut post omnes Episcopos subscriberet, exemplo *Constantini Magni*, *Theodosii*, ac *Marciani*: verum se subscripturum post Legatos Sedis Apostolicæ, & aliorum Patriarcharum, quandoquidem ita placeret Patribus. Primo itaque loco subscripsere Legati Romani Pontificis: secundum hos *Ignatius* Patriarcha Constantinopolitanus: tum aliorum Patriarcharum Vicarii: post ipsos *Basilius Augustus*: Episcopi denique CI. Observandum est accurate subscriptionum discrimen. Legati Sedis Apostolicæ subscribunt hoc tenore. *Ego . . . locum obtinens Domini mei Hadriani Summi Pontificis, & universalis Papæ, omnia, quæ superius leguntur, huic sanctæ, & universali Synodo præsidens, usque ad voluntatem ejusdem eximii Præsulis promulgavi, & manu propria subscripsi.* Vicarii Orientalium Sedium ita subscribunt: *Ego . . . Sanctam hanc, & universalem Synodum suscipiens, & omnibus, quæ ab ea judicata, & scripta sunt, concordans, & definiens subscripsi.* Imperatores vero non utuntur voce Definitionis, quam Episcoporum propriam noverant, sed verbis solam exprimentibus venerationem, & consensum. *Basilius, Constantinus, & Leo perpetui Augusti, in Christo Dei fideles Principes Romanorum, & Magni Imperatores, Sanctam hanc, & universalem Synodum suscipientes, & omnibus, quæ ab ipsa definita, & scripta sunt, concordantes subscripsimus.* Rationem hujus clausulæ, quam Sedis Apostolicæ Legati in subscriptione sua apposuere *usque ad voluntatem ejusdem eximii Præsulis* affert *Bibliothecarius* in Vita *Hadriani II.* his verbis: *Denique gestis salubriter omnibus, quæ in decem Sessionibus Synodi textus complectitur, Legati Sanctæ Romanæ Eccle-*

*Subscriptiones.*

*siæ*

*ſicæ textum Synodi, ne quid græca levitas falſum in eam congeſſerit, Anaſtaſio, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Bibliothecario (qui tunc temporis pro cauſa Ludovici Sereniſſimi noſtri Auguſti cum Suppone Archiminiſtro poſt eos Conſtantinopolim, divina, ut creditur, diſpenſatione pervenerat) ſubtiliter inquirendum, antequam ſubſcribant, committunt. A quo, quia in utrisque linguis eloquentiſſimus exiſtebat, ſtudioſiſſime perſcrutatus, omne, quod ad laudem Sereniſſimi noſtri Cæſaris Sanctiſſimus Dominus Hadrianus Pontifex in Epiſtola ſui Deceſſoris, Arſenio Epiſcopo imminente, adjecerat, reſeratum inveniunt. Quapropter Epiſtolam Sedis Apoſtolicæ fraudulenter corroſam, ſummis clamoribus conqueruntur, fatentes ſe nullo modo Synodalibus Actionibus ſubſcripturos, niſi totius Epiſtolæ integritas geſtis Synodicis jungeretur. Hoc modo Romanis certantibus, Græcis vero, non eſſe in Synodo de laude Imperatoris, ſed de ſolius Dei tractandum, altiſone reſpondentibus: Tandem ad hoc usque perventum eſt, ut interpoſita conditione voluntatis Apoſtolicæ: definitis ſententiis minus finite ſubſcriberent, ita legentes: Ego ille vices agens Domini mei Sanctiſſimi, & univerſalis Papæ in hac Sancta Synodo præſidens, usque ad voluntatem ejusdem eximii Præſulis, ad omnia, ut ſuperius legitur, conſenſi, & manu propria ſubſcripſi.* Teſtatur *Nicetas* in Vita *S. Ignatii*, Patres octavæ Synodi Oecumenicæ ſubſcripſiſſe depoſitioni calamis, *non nudo atramento, ſed ipſo Salvatoris Sanguine tinctis.*

Demum ſcripſit Sancta Synodus Epiſtolam Encyclicam ad Epiſcopos univerſos Chriſti Fideles, in qua recenſentur, quæ ab initio geſta ſunt in cauſa *Photii* ante Concilium, ſive ſub *Nicolai I.*, ſive ſub *Hadriani II.* Pontificatu, & quæ contra eundem in Synodo Oecumenica judicata ſunt. Enumeratis autem ejus facinoribus, ſic concludit: *Propter hæc ergo cuncta nolentem intelligere, ut bene ageret, neque obedientiam præeligentem, neque confitentem peccatum ſuum, & iniquiſſi-* *Epiſtola Encyclica.*

*quissimum Præsulatum, sed inobedientem, & resistentem Sanctæ huic, & universali Synodo, repulimus, & anathematizavimus, atque a tota Catholica, & Apostolica Ecclesia fecimus alienum per datam nobis potestatem in Spiritu Sancto a primo, & Magno Pontifice nostro, & liberatore, & Salvatore cunctorum.*

*Patres Synodi confirmationem a Romano Pontifice rogant.*

Dedit etiam Sancta Synodus Epistolam ad *Hadrianum II.* Pontificem Maximum, Concilii confirmationem ab ejus Beatitudine rogans his verbis: *Igitur libenter oppido, & gratanter imitatrice Dei Sanctitate vestra omnium nostrum Conventum, & universalis hujus, atque Catholicæ Synodi consensum, & consonantiam recipiente, prædica eam magis, ac veluti propriam, & solicitius confirma Evangelicis præceptionibus, & admonitionibus vestris, ut per sapientissimum Magisterium vestrum etiam aliis universis Ecclesiis personet, & suscipiatur veritatis verbum, & justitiæ decretum.*

*Synodus Oecumenica dispensationes a R. Pontifice rogat.*

Scripserunt etiam ad eundem Pontificem *Basilius Augustus*, & *Ignatius* Patriarcha, ejus Sanctitatem rogantes, ut de Lectoribus plurimis ordinatis a *Photio* sententiam diceret, de quibus non judicarat Synodus an a Sacerdotii ordinatione in perpetuum removendi essent, eisve gratiam faceret ob Ecclesiæ necessitatem. Rogabant etiam, ut cum *Theodoro* Metropolita Cariæ dispensaret, eique restitueret Episcopatum; quia multa pro *Ignatio* passus fuerat, nec defecerat ad *Photium* nisi tormentis compulsus. Intercedebant denique pro *Paulo* Chartophylace, ut concessa ipsi venia, posset ad Episcopatum promoveri. Magnificum sane pro Romani Pontificis primatu testimonium; quod Synodus Oecumenica dispensationes a Summo Pontifice roget, eique, non aliis Patriarchis potestatem a Christo concreditam agnoscat temperandi severitatem Canonum, qui ab Ecclesia recepti sunt universa.

§. XXIII.

## §. XXIII.

*Græci Bulgarorum Diœcesim in Constantinopolitani Patriarchæ ditionem transcribere temere tentarunt.*

Solidum Illyricum ad Patriarchatum Occidentis pertinuisse nemo nescit. Quinque illic præcipuæ fuerunt Provinciæ, Dacia scilicet Mediterranea, Dacia Ripensis, Prævalis, Dardania, ac Mysia superior. Istarum Ecclesias Provinciarum a Romanæ Sedis Patriarchico Principatu per vim avulserat *Leo Isaurus*. Illas postmodum Provincias Bulgari occuparunt. At cum fuissent ad fidem conversi a Romanæ Ecclesiæ Concionatoribus, & Legatis illuc a *Nicolao I.* Pontifice directis, illi sese, Ecclesiasque suas subjecere. Id Græcis fuit invidiæ in Romanam Sedem incentivum, quod in apertum erupit diebus aliquot post Synodum octavam. Excepti quippe sunt a *Basilio* Imperatore coram Legatis Apostolicis, & Vicariis Orientalium Sedium, Oratores *Michaelis* Regis Bulgarorum eo fine missi, ut habita cum Patriarcharum omnium Legatis; & *Ignatio* Constantinopolitano Collatione, scirent cujus Patriarchæ ditioni subesse Bulgaria deberet. Contentionis progressum, & exitum describit accurate *Bibliothecarius* in Vita *Hadriani secundi*. Quæstionem Oratores Bulgari proposuere his verbis: *Usque hodie Pagani fuimus, & nuper ad gratiam Christianitatis accessimus. Ideoque, ne aliquo errare videamur, cui Ecclesiæ subdi debeamus, a vobis, qui vices Summorum Patriarcharum geritis, nosse desideramus.* Sedis Apostolicæ Legati responderunt: *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui per te, o Petre, tuus Senior Beato Apostolorum Principi Petro cum omni gentis suæ Regno se tradidit, a cujus Successore, videlicet egregio Papa Nicolao, & præcepta vivendi, & Episcopos, ac Presbyteros suscipere meruit, vos & pertinuisse, & pertinere debere, etiam in eo monstratis, quod postulatos nostros*

*Sacerdotes*, & *ſuſcepiſtis*, & *hactenus veneratione congrua retinetis.* Inſtiterant Bulgarorum legati, rogantes, ut in præſentia definiretur, an Romanæ potius, quam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſubjici deberent. Legati Sedis Apoſtolicæ reſponderunt: *Nos, propter quæ Sancta Sedes Apoſtolica cum Orientalibus definienda mandaverat, Domino juvante finivimus; de cauſa autem veſtra ſecus, quam definita eſt finienda, quia nihil in mandatis accepimus; nihil vel definimus; vel in præjudicium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ definiendum cenſemus. Quinimo, quia omnis veſtra Patria noſtris plena eſt, nulli vos niſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ pertinere debere, difinitiva Sententia, quantum ex nobis eſt, promulgamus.*

Præſumptum jus ſuum in Bulgarorum Eccleſias his argumentis Græci tuebantur. Primo, quod Bulgari cum Provincias illas a Græcorum poteſtate armis evicillent, non Latinos ibi, ſed Græcos Sacerdotes invenerunt: quod argumento videbatur eſſe, illius Diœceſeos Ordinationes ad Conſtantinopolitanum ſpectaſſe Patriarcham. Secundo, quod illæ Provinciæ, de quibus erat controverſia, Orientis Imperatori ſemper paruiſſent, adeoque, & Conſtantinopolitano Patriarchæ deberent ſubjici.

Has rationes haud difficili negotio diluerunt Legati Apoſtolici. Ad primam ita reſponderunt: *A Græcis Sacerdotibus argumentum ſumere non debetis, quia linguarum diverſitas Eccleſiaſticum Ordinem non confundit. Nam Sedes Apoſtolica, cum ipſa Latina ſit, in multis tamen locis pro ratione patriæ Græcos Sacerdotes, & ſemper, & nunc conſtituens, Privilegii ſui detrimenta ſentire nec debuit, nec debet.*

Ad alteram ita reſponderunt. *Sicut Bulgariæ nobis diverſo* (id eſt multiplici) *modo Ordinationem pertinere dicentes, mendacium non loquimur: ita eandem Bulgariam*

*gariam ex Græcorum Regno fuisse nunquam negamus. Sed intueri vos decet, quia aliud ordinant jura Sedium, aliud patiuntur divisiones Regnorum. Nos de divisione Regnorum non agimus, sed de divisione Sedium loquimur.*

Profligatis adversariorum rationibus, Legati Apostolici Romanæ Sedis in Bulgariam jura tribus argumentis probarunt. Primum ita procedebat: *Sedes Apostolica, juxta quod Decretalibus SS. Romanorum Præsulum doceri poteritis, utramque Epirum, novam videlicet, veteremque, totamque Thessaliam, atque Dardaniam, in qua & Dardania Civitas hodie demonstratur, cujus nunc patria ab his Bulgaris Bulgaria nuncupatur, antiquitus canonice ordinavit, & obtinuit. Ac per hoc Ordinationem, quam tunc Paganorum Bulgarorum irruptione amiserat, non a Constantinopolitana Ecclesia modo (ut fingitur) abstulit; sed ab his factis ipsa Christianis recepit.*

Alterum argumentum erat hujusmodi: *Bulgaros, qui jure gentili sibi patriam subjugantes, eam per tot annos retinent, quod cœperunt, Sedis Apostolicæ patrocinio, ordinationique sese specialiter committentes, nobis debent, nec immerito subjici, quos ultronea voluntate Magistros elegere.*

Tertium argumentum his verbis conceptum erat: *Bulgaros Sancta Sedes Apostolica jussu quondam Sanctissimi Papæ Domini Nicolai, tam per aliquot nostrum, qui hic sumus, & illic multas Ecclesias dedicantes, Sacerdotes creavimus: quam per Paulum, Dominicum, Leopardum, ac Formosum venerabiles Episcopos, sed & Grimoaldum, Coepiscopum nostrum, quem hactenus isti Bulgares cum multis nostris Sacerdotibus in conspectu nostro habere se fassi sunt, a diversis erroribus ad Catholicæ fidei veritatem, multo sudore, gratia Christi præduce, ecce ultra triennium tenuit, tenet, ordinat, ac disponit: Ideoque consequens non est, ut sine conscientia*

*entia Romani Summi Pontificis, Ecclesia Romana de quibus præsentialiter vestita cernitur, spolietur.*

His adductis rationibus, Legati Sedis Apostolicæ Græcos hac in causa Judices recusarunt, immo nec sibi licitum esse, hanc dirimere controversiam, palam sunt contestati, his verbis Orientalium Patriarcharum allocuti Vicarios. *Sancta Sedes Apostolica vos, quia revera inferiores estis, super causa sua Judices nec eligit, nec per nos elegit, utpote, quæ de omni Ecclesia sola specialiter fas habeat judicandi. Sed neque nobis de hac causa sententiam proferre commisit. Quapropter quod ab ea faciendum non accepimus, ejus cognitionis Judicium ei, qui librorum multiplicitate ad defensionem sui multa proferre prævalet, ex integro reservamus. A qua omnis vestra sententia tanta facilitate despicitur, quanta levitate profertur.*

Adversus hæc Orientalium Patriarcharum Vicarii excepere: *Satis indecens est, ut vos, qui Græcorum Imperium detrectantes, Francorum fœderibus inhæretis, in Regno nostri Principis ordinandi jura servetis. Quapropter Bulgarorum Patriam ex Græcorum potestate dudum fuisse, & Græcos Sacerdotes habuisse comperimus Sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ: a qua, quia per Paganismum recesserat, nunc per Christianismum restitui judicamus.*

Temerario, ac iniquo Vicariorum Orientalium Judicio Sedis Apostolicæ Legati intercessere his verbis: „ Sententiam, quam non electi, neque admissi, sive „ timore, sive gratia, vel quidquid illud est modo „ præcipitastis potius, quam protulistis, auctoritate „ Sancti Spiritus usque ad Definitionem Sanctæ Sedis „ Apostolicæ, omnino rescindimus, ita, ut nullo mo- „ do vel nomen habere Sententiæ mereatur. Te- „ que adjuramus, Patriarcha Ignati, auctoritate SS. „ Apostolorum Principum, coram Deo, suisque An-

„ ge-

„ gelis, omnibusque præsentibus, ut secundum hanc
„ Epistolam Sanctissimi Restitutoris tui Domini Ha-
„ driani Summi Pontificis, quam tibi ecce offerimus,
„ industriam tuam ab omni Bulgariæ Ordinatione im-
„ munem, nullum tuorum illuc mittendo custodias,
„ ne Sancta Sedes Apostolica, quæ tibi tua restituit,
„ per te sua perdere videatur. Quin potius, si,
„ quod non credimus, justam te habere querimoniam
„ æstimas, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ restitutrici tuæ
„ solenniter suggerere non omittas. „ Hæc refert laudatus Bibliothecarius in Vita *Hadriani II.*

De eadem controversia legendus *Anastasius Bibliothecarius* in Præfatione VIII. Synodi, ubi narrat *Michaelem* Regem Bulgarorum cum gente sua fidem suscepisse, & baptizatum fuisse hominis Romani, *Pauli* scilicet Presbyteri ministerio: & post cum *S. Petri* meritis, & intercessione, quem constitutus in angustiis Patronum, & auxiliatorem invocaverat, salutem, & victoriam esset consecutus, Oratores ad Sedem Apostolicam misisse, cui *Nicolaus I.* præsidebat, ab eoque postulasse idoneos Institutores, cum in Fide, tum in Christiana Disciplina. Missos a Pontifice *Paulum* Populoniensem, & *Formosum* Portuensem, *Sanctæ Conversationis Antistites*, qui rem Christianam ibi mirifice propagarunt. Tantam fuisse *Michaelis* Regis pietatem, erga *S. Petrum* venerationem tantam, ut capillis suis manu propria in subjectionis, & obsequii argumentum attonsis, Romanæ Sedi se, suosque in manus Legatorum Apostolicorum tradiderit, dicens: *Omnes Primates, & cuncti populi Bulgarorum terræ cognoscant, ab hodierno die me servum fore, post Deum, B. Petri, & ejus Vicarii.* Addit *Anastasius*, Græcos variis artibus, muneribusque Regis *Michaelis* tentasse constantiam, eum ut a Romani *Patriarchatus* obedientia cum tota gente divellerent: illum vero columnæ instar immobilem mansisse, donec eorundem Græcorum fraude deceptus est, scribentium, controversiam de Bulga-

rorum

rorum Diœcesi inter Sedis Romanæ Legatos, & *Ignatium* Patriarcham fuisse canonice ventilatam, & una cum Orientalium Sedium vicariis judicasse, Bulgarorum Diœcesim illi Ecclesiæ subjiciendam, cui ante Bulgarorum adventum paruerat. Addit rursus *Anastasius*, non esse omnino certum, an Vicarii Orientales id decreverint, cum interpres illis datus ab Imperatore haud fideliter ipsorum verba, & Romanorum Legatorum responsa redderet, sed prout jubebat Imperator. Bulgaris tamen Oratoribus Scriptum quoddam Græcis verbis exaratum datum esse, quod Sententiam a Vicariis Orientalibus, quasi arbitris inter Sedis Romanæ Legatos, & *Ignatium* Constantinopolitanum Patriarcham latam continebat. Legatos vero Apostolicos tam iniquo Judicio intercessisse. Cæterum hancce controversiam peracta Synodo octava agitatam fuisse monet eruditus Bibliothecarius, Græcam fidem suspectam habens; ne quidquam de subjicienda Constantinopolitanæ Sedi Bulgarorum Diœcesi definitum ab Universali, & octava Synodo mentiantur, vel quid hujusmodi in ejus Acta intrudant, quibus solemne est Concilia interpolare.

*Ignatius* Patriarcha oblatam a legatis Apostolicis *Hadriani* Pontificis Epistolam cum veneratione suscepit, eorum admonitioni respondens his verbis: *Absit a me, ut ego his præsumptionibus contra decorem Sanctæ Segis Apostolicæ implicer, qui nec ita juveniliter ego, ut mihi subripi valeat, nec ita seniliter deliro, quod in aliis reprehendere debeo, ipse omittam.* Ipse nihilominus Bulgarorum Diœcesim jure Patriarchico regendam suscepit, Romanisque Presbyteris ejectis, Græcos illuc Presbyteros misit, gentique *Theophylactum* ordinavit Episcopum. Qua de re graviter expostulavit cum *Basilio* Imperatore *Hadrianus II.* in Epistola ad ipsum data post Synodum. Ubi enim ipsum increpuit, quod Legatos Apostolicos remisisset omni destitutos præsidio, ex quo factum erat, ut in manus

Scla-

Sclavorum piratarum incidissent, qui illis omnia eripuerant, & inter alia, Acta Synodi, & Libellos Orientalium Episcoporum subscriptionibus munitos, clam ita jubente (ut suspicio erat) ipso Imperatore hæc de usurpata Bulgarorum Diœcesi subdit: " Est „ præterea, & aliud, quod prima Pietatis vestræ opera, vel circa Sedem Apostolicam prioris benignitatis indicia decolorasse convincitur, immo funditus „ destruxisse probatur: videlicet: quia favore vestro Frater, & Coepiscopus noster Ignatius in Bulgarorum „ regione consecrare præsumpsit Antistitem, &c. Verumtamen saltem nunc jam dictum Reverendissimum „ Præsulem ab illius regionis dispositione salubribus „ monitis, quæsumus, coercete; alioquin nec ipse canonicam effugiet ultionem: nec illi, qui Præsulatus, „ vel alterius officii sibi nomen illic usurpant, cum „ excommunicatione, qua jam tenentur adstricti, etiam „ proprii gradus jactura carebunt.

Qui *Hadriano II.* successit *Joannes VIII.* restitutionem Diœceseos Bulgarorum Ecclesiæ Romanæ ursit vehementer, missis ad nutum Imperatoris *Basilii*, Constantinopolim Legatis, *Eugenio* Ostiensi, & *Paulo* Anconitano Episcopis: quibus literas ad *Michaelem* Regem Bulgarorum deferendas dedit, quibus ipsum adhortabatur, ut relictis Græcis, ad Romanæ Ecclesiæ gremium rediret, eique immediate se subjiceret, prout initio devoverat: alioquin periculum esse ne in errorem pertrahantur Bulgari. *Credimus autem*, inquit, *quod jam vos non lateat, nunquam Apostolicam Beati Petri Sedem ab aliis Sedibus reprehensam, cum ipsa alia omnes, & præcipue Constantinopolitanam sæpissime reprehendens, aut ab errore liberaverit, aut certe in his, qui resipiscere noluerunt, Sententiæ suæ Judicio condemnaverit. Noli ergo sequi Græcos, Fili Charissime, quia argumentis semper fallacibus student, semper dolosis intendunt versutiis; ne forte vobis, quod genti contigit Gothorum, contingat: quæ cum a Paganorum errore* *Epist. LXXV.*

rore

*rore cuperet liberari, Christique fidei sociari, in Episcopum incidit formam pietatis habentem, virtutem autem ejus abnegantem: qui eos, dum a Paganismo liberat, Arii blasphemiis implicat.*

*Epist.* LXXVI. Dedit & alias ad *Petrum* Comitem literas, qui Regis Bulgarorum Legationem apud Imperatorem *Basilium* obierat, ut Regem consiliis suis ad Romanæ Ecclesiæ gremium revocaret. „ Hanc itaque fidem, *inquit*, suggere semper, & suade Pio Regi sitire; hanc „ non alibi præcipue quærere nisi Romæ, ubi plantata est & radicata a B. Petro. . . . Quoniam sicut „ aqua nunquam potest alibi tam pura, vel tam nitida reperiri sicut in Ecclesiæ nostræ vivario, ubi eam „ non tecta perstillantia, quibus litigiosa mulier, id „ est, hæretica pravitas comparatur: sed ille Cœlorum Claviger ubertim, & purissime congregavit, qui „ ex ipso fonte vivo hanc cœlitus hausit, & limpidissimam conservandam mandavit.

*Epist.* LXXVII. Scripsit præterea gravissimas acerrimasque literas ad *Ignatium* Constantinopolitanum Patriarcham, quibus usurpatam ab ipso Bulgaricam Diœcesim repetebat, jubebatque, ut quos ille, vel ejus Suffraganei genti consecraverant, illucque miserant Sacerdotes, infra triginta dies revocaret, nisi intra duos menses pareret, excommunicationem illi minabatur: immo & exauctorationem, si contumax perseveraret. *Nullus*, inquit, *ignorat, regionem Bulgarorum a sanctæ memoriæ Damaso Papa, & deinceps usque ad Paganorum irruptionem, a Sedis Apostolicæ Præsulibus, quantum ad Ecclesiasticæ provisionis attinet Privilegium, moderatam. Præsertim cum hoc nonnulla scripta, sed præcipue diversorum Pontificum Romanorum res gestæ, quæ in archivis antiquitus nostræ referuntur Ecclesiæ clarius attestentur. De his autem, quæ bellica clades, & gravissimi hostilitatis incursus intulisse noscuntur, nil præstantius sentiendum est, quam quod clarissima Ecclesiæ tuba, S. videlicet Leo*

*nostræ Sedis Antistes edocuit, & decrevit, cum ait: * Adhibenda curatio est, ut vulnera, quæ adversione hostilitatis illata sunt, Religionis maxime ratione sanentur. . . Remotis malis, quæ hostilitas intulit, unicuique id, quod legitime habuit, reformetur; omnique studio procurandum est, ut recipiat unusquisque, quod proprium est. Sed hæc, Reverendissime Frater, omnia clausis oculis relegisti, Sanctorumque Patrum Decreta calcaneo temerario conculcasti, ac multiplicium tibi beneficiorum Sedis Apostolicæ præstitorum oblitus, contra eandem Sanctam Sedem, benefactricem videlicet tuam erectus es, priscam Diœcesim illius in regione Bulgarorum constitutam illicita pervasione subripiens, & in alienam messem, contra divinas leges, mittere falcem non renuens. Unde merito post primam, & secundam commonitionem a nostræ te debueramus Communionis contubernio sequestrare, in promptu habentes, secundum Apostolum, * ulcisci omnem inobedientiam. . . . . . . Sed quia Sedis Apostolicæ moderatione utentes, spiritu lenitatis potius, quam severitatis erga correptionis tuæ flagramus affectum, ecce tertio canonice per Missos, & syllabas commonemus, &c. Porro si intra triginta intervalla dierum, omnes, quos vel tu, vel Episcopi tui consecrasse in aliquo gradu putantur Ecclesiæ, totius Regionis Bulgaricæ terminis non eduxeris, & temetipsum ab omni Ecclesiastico illius jure Diœceseos non subduxeris, tamdiu a Sancto Corpore, ac pretioso Sanguine Domini nostri Jesu Christi post duos menses a die numerandos, qua hujus Epistolæ tomum acceperis, esto privatus, quamdiu his obstinatus Decretis nostris minime obedientiæ colla submiseris. Jam vero, si pertinaciter in hac indisciplinatione, atque pervasione permanseris, & Episcopos, & quotquot illic, vel illi, vel tu, consecrasse videris, foras illinc minus expuleris, Omnipotentis Dei Judicio, & Beatorum Principum Apostolorum auctoritate, nostræque Mediocritatis Sententia, omni Patriarchatus esto dignitate, quam nostro favore receperas, alienus, & exors.*

Leo Epist. 85.

* 1. Cor. 10.

Misit

Misit etiam Epistolam, seu potius excommunicationis Sententiam ad Episcopos, & Clericos Græcos Bulgarorum Ecclesiis a Constantinopolitano Patriarcha præpositos *Joannes VIII.* & Mandatum, ut intra dies triginta a Bulgaria discederent, sub pœna depositionis ipso facto incurrenda. Inscribitur: *Omnibus Episcopis, & cæteris Clericis Græcis Bulgariæ Diœceseos invasoribus, ac per hoc excommunicatis.*

*Epist. LXXIX.* *Ignatio* redditæ non fuerant acres illæ *Joannis VIII.* literæ. Obierat enim cum ejus Legati Constantinopolim pervenere, ut testatur *Stylianus* in Epistola ad *Stephanum VI.* Pontificem Maximum. *Ignatii* vero sanctitati non obstat illa de Bulgarorum Diœcesi contentio, quia jura Ecclesiæ suæ, ut ipse existimabat, tuebatur; sperabatque Romanum Pontificem tandem cessurum. Ignorantiæ itaque vitium fuit in causa, quam ipsi studium de Sedis suæ Juribus vindicandis ferventissimum obscuram fecit, quem nævum in candore sanctæ animæ caritatis ubera contexere.

*Epist. CCI.* Laudatus Pontifex *Joannes VIII. Photium*, defuncto *S. Ignatio* restituit, ea lege, ut a Bulgaricæ Diœceseos administratione abstineret, eamque Romanæ Sedi restitueret. Sic enim scripsit ad Photium: „ Diœcesim nostram Bulgariam, quam Apostolicæ recordationis Sanctissimique Domini Papæ Nicolai certamine Sedes Apostolica recepit, ac Hadriani æque Beatissimi Præsulis tempore possederat, summa nobis caritate restitui volumus, & de cætero omnem Ordinationem Ecclesiasticam ab Ecclesiæ Constantinopolitanæ Præsulibus in eadem Diœcesi Bulgarica, Auctoritate Apostolica amputamus; ipsos autem ordinatos ibidem Episcopos, & omnes alios inferioris ordinis Clericos, ut inde se subtrahant, & ab invasione Bulgaricæ Diœcesis se omnino compescant, decertare procures. Quibus, si tu aut Pallium dederis, aut quamcunque illis Ordinationem

„ fe-

„ feceris, vel donec nobis obediant, cum eis communicaveris, pari excommunicatione cum eis teneberis annexus.

Votis potitus est *Joannes VIII.* restitutam Romanæ Sedi gavisus est Bulgarorum Diœcesim, qua de re gratias egit Imperatoribus Epistola CCLI. *Vobis*, inquit, *grates multas referimus, quia Bulgarorum Diœcesim pro amore nostro, gratanti animo, S. Petro; ut justum erat, permiseritis habere.* Verum brevis fuit Pontificis lætitia. *Photius* enim, connivente Imperatore, sacrum Bulgaricæ Diœceseos Principatum rursus invasit: mansitque Constantinopolitanæ Sedi addicta usque ad Pontificatum *Innocentii III.*, qui eam Romanæ Ecclesiæ vindicavit, ut testatur ejus Vita ab erudito Gallicanæ Ecclesiæ Præsule *Francisco Bosquetto* in lucem edita.

## §. XXIV.

### *Synodus VIII. ut vere Oecumenica ab Ecclesia recepta est.*

*Hadrianum II.* Pontificem Maximum Synodum VIII. confirmasse, probat ejus ad Imperatorem *Basilium* Epistola, quæ ad calcem Actorum legitur. *Ab illis*, inquit, *Sacratissimis Constitutis, quæ vel Apostolicæ memoriæ Prædecessor noster Nicolaus antea salubriter sanxit, vel nos postea dispensatorie protulimus, nulla motione, vel mutatione discedemus, aut ad dexteram, aut ad sinistram quoquo modo declinabimus. Quæ videlicet jam dudum probavit Ecclesia, & immutilata servanda nuper gestum Universale Concilium statuit. Neque enim nobis moris est, ut pro libitu proprio paternis sanctionibus abutamur.*

Romani Pontifices in Professione Fidei, quam nono sæculo emittebant, statim atque erant electi, octo universalia Concilia se immutilata servaturos profiteban-

bantur. *Sanctaque octo universalia Concilia, id est, Nicœnum, Constantinopolitanum, & Ephesinum Primum, Chalcedonense, Quintum quoque, & Sextum item Constantinopolitanum, & Septimum item Nicœnum, Octavum quoque Constantinopolitanum, usque ad unum apicem immutilata servare: & pari honore, & veneratione digna habere, & quæ prædicarunt, & statuerunt, omnimode sequi, & prædicare, quæque condemnaverunt. condemnare ore, & corde.* Refertur *ab Yvone Carnotensi* parte 4. Decreti, c. 132. quod inscribitur. *De Octo Universalibus Conciliis, a Gratiano* Distinct. 16. ab *Antonio* Augustino in Epitome Juris Pontificii veteris lib. 5. Tit. 10. cap. 54. a Cardinali *Baronio* in Annalibus, ad annum. 869. eamque novissime edidit vir eruditus P. *Garnerius* S. J. in Libro Diurno Romanorum Pontificum, Tit. 9.

Apud Græcos omnes Orthodoxos tanta in veneratione fuit Octava Synodus, ut ejus Breviarium ad valvas Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ cum insigni elogio affixerint, in quo *Oecumenica* non semel appellatur, in eoque legitur hæc Procerum, & Patritiorum Professio: *Sanctam, & Oecumenicam Synodum Octavam recipimus, admittimusque, quos illa admittit, & damnamus, quos illa damnat. Et si quando receperimus eos, quos Synodus ejecit, a Christo anathema simus.*

Auctor Libelli Synodici Octavam Synodum Oecumenicam agnoscit. *Synodus*, inquit, *Oecumenica Octava Constantinopoli celebrata anno* III. *Piissimorum Imperatorum Basilii, & Constantini, in qua præsentibus Donato, & Stephano Episcopis, & Marino Diacono, locumtenentibus Hadriani Archiepiscopi Senioris Romæ, in locum pristinæ dignitatis restitutus est Ignatius, estque judicatum, Photium nefaria occupatione solium Patriarchæ tenuisse, & restituendum esse Ignatium.*

De

De Octava Synodo scribit *Nicetas Paphlago* in Vita S. Ignatii: *Ego Synodum hanc, Actiones omnes, & definitos in ea Canones: perinde, ac in aliis septem Oecumenicis Synodis, ita in hac quoque, ut Sanctos, & a Spiritu Sancto dictatos valde probo, admittoque.*

Eidem Synodo nomen, ac dignitatem Oecumenicæ vendicat *Anastasius Bibliothecarius*, in præfatione VIII. Synodi. *Facta est igitur hæc Sacrosancta Synodus anno Imperii Basilii Pii Principis tertio, quæ universos Patriarchales Thronos, sicut aliarum ulla in eorum loci Servatoribus Præsules habens, Universalis non inconvenienter ab omnibus appellatur. Universalis est enim: Primo, quia Catholica Fides in ea, & Sanctæ Leges, quæ non solum a Sacerdotibus, sed & ab universis Christianis coli debent, ac venerari, contra hostes earum consona voce defenduntur. Deinde, quia cum Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, tot Patriarchales Sedes, quot in cujusque mortali corpore sensus locaverit, profecto nihil generalitati deest Ecclesiæ, si omnes illæ Sedes unius fuerint voluntatis, sicut nihil deest motui corporis, si omnes quinque sensus integræ communisque fuerint sanitatis. Inter quas videlicet Sedes, quia Romana præcellit, non immerito visui comparatur. . . Tertio, quia cum Photius tot excessuum suorum morbo universam Ecclesiam maculaverit, Universalis curatio adhibita est, ut totum curaretur, quod totum fuerat maculatum.* Et infra: *Nuncupanda est ergo sine omni contradictione Synodus Universalis Octava, ut & appellatio: quam cum septem aliis Conciliis sortita est, non celetur; & nomen proprium, quod singulariter possidet, dignetur. Photius* Pseudo-Synodum suam, cum a *Joanne VIII.* restitutus est, celebratam, *Universalem* inscripsit: Qui tamen in libro de VII. Synodis, sive in Literis ad *Michaelem* Regem Bulgarorum, septem duntaxat Synodos Oecumenicas enumerat. *Nilus* Metropolita Rhodiorum, Photianam Synodum pariter *Oecumenicam Octavam* nuncupavit, Marcus Ephesinus Archiepiscopus Schismaticus Sessione

VI. Florentinæ Synodi *Juliano Cardinali*, ad Acta Synodi Octavæ Oecumenicæ provocanti reposuit, hanc inter Oecumenicas Synodos non esse connumerandam, cujus Acta rescissa essent in altera Synodo sub *Joanne VIII.* Papa: quæ potius Octava nuncupanda esset. Addidit in magna Ecclesia Constantinopolitana ex eo tempore ita legi: *Omnibus, quæ adversum Sanctos Patriarchas Photium, & Ignatium scripta, vel dicta sunt, anathema.* Julianus Cardinalis, etsi Octavam Synodum appellare perrexerit, suas tamen partes pessime tutatus est, mendacia *Marci Ephesii* non refellens, ejusque temeritatem in Synodo Octava rejicienda, & Photiana vindicanda non coercens. *Zonaras*, & *Balsamon* in suis Collectionibus loco Synodi Octavæ Oecumenicæ Pseudo-Synodum Photianam sub *Joannis VIII.* Pontificatu celebratam substituunt. Vulgo tamen Græci Schismatici septem duntaxat Synodos Oecumenicas recipiunt, atque profitentur, ut constat ex Præfatione *Constantini Harmenopuli* ad Canonum Epitomen, ex *Matthæo Blastare* in Collectione Canonum, ex *Germano* Patriarcha Constantinopolitano Græco in literis ad Latinum Patriarcham Constantinopolitanum, & ex Epistola Synodica, quam Patriarcha Constantinopolitanus, cæterique Episcopi Græci Schismatici etiamnum post Ordinationem suam scribere solent.

*Joannes Palæologus* Græcorum Imperator apud *Sguropulum* in Historia Concilii Florentini *lib.* 9. *cap.* 4. sic Episcopos suos alloquitur: *Ego arbitror hanc Synodum Generalem nullatenus infra dignitatem aliarum septem Generalium subsidere, quæ eandem antevertunt. Quare volo, ut hæc illis par in omnibus succedat, nec aliud quidquam ab illis diversum in hac gestum prodeat.*

*Abrahamus Cre-* *Abrahamus Cretensis* Florentinæ Synodi Interpres, & primus Editor, ipsi titulum *Octavæ Synodi* inscripsit,

psit, idemque ipsi tribuit Privilegium editionis, quod *Clemens VII.* Medicæis concessit, ut observat *Joannes Launojus* Epistolarum P. VIII. in Epistola ad *Claudium Amelinum.* Sed *Cretenses semper mendaces*: neque hac in re fidelis *Abraham*, & benedicendus: cum nec Florentinæ *Synodi* Acta, & Decreta, nec *Eugenii Quarti* Pontificis Maximi Diploma ipsi nomen *Synodi Oecumenicæ octavæ* uspiam tribuant. Privilegium autem editionis a Pontifice, cujus nomine datum est, expensum non fuit, sed expressus est titulus libri, prout ab Editore fuerat adscriptus, ab eo, qui Privilegium exaravit. Cæterum hac in re fuisse obreptum Pontifici Maximo, non solum ex veteri Professione Fidei colligitur, quam recens electi Pontifices nono sæculo emittebant, sed etiam ex ea, quam Synodus Oecumenica Constantiensis Sessione 39. præscripsit a Pontifice mox eligendo faciendam, quæ sic habet. *Ego N. electus in Papam, Omnipotenti Deo, cujus Ecclesiam sub præsidio regendam suscipio, & B. Petro Apostolorum Principi, corde, & ore profiteor, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter credere, & tenere sanctam Fidem Catholicam secundum traditionem Apostolorum, Generalium Conciliorum, & aliorum Sanctorum Patrum: maxime autem Octo Conciliorum Universalium, videlicet Primi Nicæni, Secundi Constantinopolitani, Tertii Ephesini, Quarti Chalcedonensis, Quinti, & Sexti Constantinopolitanorum, Septimi item Nicæni, Octavi quoque Constantinopolitani &c.* Ad hanc sane traditionem *Clemens VII.* attendisset, si Privilegium pro editione Concilii Florentini ab *Abrahamo Cretensi* adornata datum discussisset. Ipsi ergo obreptum est. Et in editione Romana Conciliorum sub *Paulo V.* detractus est is titulus.

*tensis emendatur.*

Sicut ex his refellitur *Abrahami Cretensis* temeritas, ita castigatur *Joannis Launoji* licentia, qui Græcis, & Latinis Episcopis in Synodo Florentina congregatis tribuit, quod a solo *Abrahamo Cretensi* temere factum

*Launojus notatur.*

eſt. Ejus verba profero ex Epiſtola ad *Franciſcum Bonum*, Epiſtolarum P. *VIII. Tacere non poſſum Florentinam Synodum, quæ ex Latinis, & Græcis Antiſtitibus conſlata eſt, alia providentia gubernatam fuiſſe. Hæc enim Synodus ſub nomine Octavæ Synodi cum primum in lucem prodiit, Græci, & Latini, qui aderant, & qui eam typis mandarunt, nec Synodum, in qua depoſitus eſt Photius, nec aliam Synodum, in qua Sedi ſuæ redditus eſt Ignatius, ut Octavam agnoſcunt: qua non agnita, haud mirum eſt Græcos, & Latinos illos Octavæ Synodi Præſidem nullum agnoviſſe.*

*Aimoini Continuator*, * qui alius ab Auctore Annalium Bertinianorum non videtur, in Synodum Octavam Oecumenicam fuit iniquior, de qua inſcite, ac temere ſcripſit: *Hadrianus Papa Miſſos ſuos ad Baſilium Imperatorem Conſtantinopolim direxit. . . . Et Synodo congregata, quam Octavam Univerſalem appellarunt, exortum Schisma de Ignatii depoſitione, & Photii Ordinatione ſedaverunt, anathematizantes Photium, & Ignatium reſtituentes. In qua Synodo de adorandis Imaginibus aliter, quam Orthodoxi Doctores ante definiverant, ſtatuerunt: Quædam etiam pro favore Romani Pontificis, qui eorum voto de adorandis Imaginibus annuit, & quædam contra antiquos Canones, & contra ipſam ſuam Synodum conſtituerunt.*

* *Sub Ademari Monachi Engoliſmenſis nomine perperam a plerisque laudatus.*

## §. XXV.

### *Defuncto S. Ignatio, Photius in Sedem Conſtantinopolitanam iterum adrepſit.*

Photii damnatio nihilo ipſum modeſtiorem effecit: ſolido enim exilii decennio innumera adverſus Sanctiſſimum Patriarcham *Ignatium* meditatus eſt tentavitque mala. Verum cum illum undique ſecurum videret, Synodi Oecumenicæ Sententia, Romani Pontificis Patrocinio, gratia Imperatoris, nova impoſtura

ſibi

sibi reditum ad Regiam Sedem aperuit. Commentus est scilicet *Basilii* Imperatoris Genealogiam, ejusque perobscurum genus a magno *Tyridate* Armenorum Rege deduxit. Cum ad patrem *Basilii* venisset, novo fabricato nomine, filios ejus ad Imperium provehendos auguratus est. Nomen illud erat, *Beclas*, cujus literæ nominum *Basilii*, ejusque uxoris, ac filiorum initiales erant, ut ex sequenti Schemate videre est.

*Basilius Imperator.*
*Eudocia Augusta.*
*Constantinus filius.*
*Leo filius.*
*Alexander filius.*
*Stephanus filius.*

Sexcentis fabulis Genealogiam illam Historicam cum adornasset, vetustissimis in membranis, Alexandrinis etiam characteribus ementitis, descripsit, Codicemque antiquis, & fumosis chartis obvolutum recondidit in Palatina Bibliotheca. *Photio* in struenda fraude adjutor fuit *Theophanes* Regius tunc temporis Clericus, magnæque apud Imperatorem existimationis, postea vero in fraudis præmium Cæsareæ Cappadociæ Episcopus. Is librum plane mirabilem, & exquisitum se in Bibliotheca reperisse *Basilio* Imperatori indicat, qui res arcanas, & vaticinia ipsius Majestatem spectantia complecteretur. Cæterum illius arcana, præter *Photium* immensæ eruditionis virum, posse reserare neminem. Codex ad *Photium* protinus mittitur in exilio degentem; jubetur mysticam Genealogiam explicare. Negat ille se res arcanas, quæ Imperatorem spectarent, alteri ab ejus Majestate revelaturum. Imperator ambitiosa curiositate incitatus *Photium* ab exilio Constantinopolim revocat. Is *Basilium*, qui rusticam ex Macedonia originem suam erubescebat, de nata-

lium splendore adulatur, confictamque Genealogiam exponens, & vaticinia, quæ jam maxima ex parte impleta erant, & quorum eventus spem faciebat fore, ut cætera, quæ gloriosissimum, ac felicissimum illi portendebant Imperium, pariter implerentur, sese in Principis animum penitus insinuat coluber vaferrimus: assiduus in Palatio versatur; *Theodorum Santabarenum* nequissimi Patris nequiorem filium, solo habitu Monachum, & Abbatem, fuco sanctitatis incautis illudentem, ariolum, magum, necromanticis quoque præstigiis insignem, Imperatori sistit, commendat, familiarem facit; eoque adjutore struit insidias *Ignatio* Patriarchæ sanctissimo, eumque dejicere, & Sedem illius rursus invadere molitur. At nefarium consilium difficilius ad exitum posse perduci animadvertens: obtinere nititur ab *Ignatio* suam in Sacerdotium restitutionem. Precibus flecti nullis potuit Canonum observantissimus Patriarcha. Exauctoratum ab Oecumenica Synodo, absque Synodo altera æqualis saltem auctoritatis absolvi non posse respondit. *Photius* repulsam passus, Sacerdotium usurpavit, ac in Regia Magnaura Patriarcham agens, Ordinationes celebrare, & Exarchos constituere ausus est.

Dum hæc agerentur, obiit *S. Ignatius*: cui mortem *Photii*, & *Theodori* Santabareni nequitia maturitatam, suspicio fuit. Vix illatum erat in sepulchrum ejus corpus, miraculis etiam corruscans, cum *Photius* Imperatoris facilitate abusus, Proceribus tractis in partes, in Sedem Patriarchicam nova tyrannide irrepsit. Mox sua in *S. Ignatium* odia haud cum ipso extincta demonstrans, in ejus familiares, ac domesticos sævit, carcere, verberibus, exilio ipsos opprimit. Episcopos plerosque partim muneribus, & honoribus, vel Sedium Episcopalium permutationibus, & pinguiorum collatione Beneficiorum illectos, & partim falsis accusationibus, & calumniis concussos, & perterritos, in communionem suam pertraxit: paucos, qui ejus Communionem,

nem, & tyrannidem conſtanter execrabantur, fugiebantque, a Leone Catacalo Vigiliarum Præfecto; homine ſibi devotiſſimo, & immani dire vexandos tradidit. Ordinationes etiam *S. Ignatii* in irritum mittere, ab eo exauctoratos reſtituere Sedibus: ab eo ordinatos auſu ſacrilego iterum conſecrare tentavit. Iſta conſtant ex *Niceta* in Vita *S. Ignatii*, & ex Epiſtola *Styliani*, & Symmiſtarum ad *Stephanum V.* Pontificem Maximum. Contigit hæc rerum in Eccleſia Conſtantinopolitana mutatio anno Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo octavo, *Joannis Octavi* Romani Pontificis Sexto, *Baſilii* Imperatoris duodecimo.

Anno ſequenti Legationem ad *Joannem* Pontificem Maximum decrevit *Baſilius* Auguſtus, quo *Photium* in Sedis Apoſtolicæ Communionem ſuſcipi, & in Patriarchali Sede confirmari ardentibus votis poſtulabat. Fruſtra enim *Pauli* Anconitani, & *Eugenii* Oſtienſis Epiſcoporum, qui tunc temporis Sedis Apoſtolicæ Legationem Conſtantinopoli obibant, conſtantiam tentaverat, ut *Photium* vel ad Communionem admitterent. Scripſit etiam *Photius* per *Theodorum Santabarenum*, quem Patrarum Metropolitam creaverat, ad eundem Pontificem ſe vim a tota Eccleſia, & Republica perpeſſum, ut Patriarchale Solium aſcenderet, mentitus. Quod ut ipſi facilius perſuaderet, *Petri* a Secretis Miniſterio, & fraude, Metropolitarum omnium ſubſcriptiones, & ſigilla ſuffuratus eſt, arcanam prædii cujusdam emptionem prætendens: ut refert *Nicetas* in Vita *S. Ignatii*.

## §. XXVI.

### *Photius a Joanne in Sedem Constantinopolitanam restitutus.*

Imperatoris precibus permotus, victusque *Joannes VIII.* ejus votis annuit, ac *Photium* in Communionem, & Sedem restituit. Tam ignavum, tamque indignum Romano Pontifice facinus, quo Sanctissimorum Decessorum, & Synodi Oecumenicæ rescindebatur Sententia de *Photio* nunquam recipiendo, cui *Joannes* ipse adhuc Archidiaconus coram universa Ecclesia subscripserat eamque juramenti religione firmaverat, æternum ejus nomini dedecus, ac probrum inussit. Inde ortam putat *Joannæ* Papissæ fabulam Card. Historicus, quod *Joannem VIII.* ob nimiam animi facilitatem ac mollitiem, constantiæque Sacerdotalis defectum, recipiendo, ac restituendo virum nequissimum, qui nulla pœnitentiæ signa dederat, immo novis criminibus priora cumulaverat, non Papa, ut sanctissimi ejus Decessores, sed Papissa dictus sit: & sic nomen contumeliæ posteris rerum insciis transiisse in veritatis opinionem; jactatamque vulgo fuisse de *Joanna* Papissa fabulam. Cur gratiæ Imperatori captandæ, quam servandorum hac in causa Canonum studiosior fuerit *Joannes VIII.* plures intercessisse causas non inaniter conjicit Annalium Ecclesiasticorum Parens. Cum enim Græcorum Imperium evadere in Italia potentius conspiceret, ac Beneventanos, Capuanosque a Gallis ad *Basilium* Imperatorem defecisse, ei repugnare periculosum existimavit difficillimis hisce temporibus, quibus Urbi Romæ, non Barbarorum duntaxat, sed vicinorum etiam Comitum gladius imminebat. Præterea, spem fecerat Pontifici *Basilius*, fore, ut valida instructa classe Campaniæ, Latiique, & Hetruriæ littora Saracenorum ab incursionibus liberaret. Ad hæc, Bulgaricæ Diœceseos restitutionem Romanæ pollice-ba-

batur Ecclesiæ. Pax insuper Orientalium Ecclesiarum per *Photii* confirmationem in Constantinopolitana Sede sancienda prætendebatur. Vota denique omnium, qui a *S. Ignatio* ordinati erant, Sacerdotum, & Clericorum supponebantur, quasi *Photii* restitutionem ipsi etiam flagitarent.

Verumtamen Decessorum suorum, & Synodi Oecumenicæ Decreta se in irritum non mittere contestabatur *Joannes VIII.*, sed propter pacis, & unitatis Ecclesiasticæ bonum de iisdem dispensare, ea lege, ut *Photius* in Synodo coram Sedis Apostolicæ Legatis celebranda veniam postularet. Id constat Epistola illius CXCIX. *ad Basilium* Imperatorem, ejusque filios data, in qua hæc habet: *Nos itaque Serenitatis vestræ preces congrua ratione admittentes, quia Ignatium piæ memoriæ Patriarcham de præsenti vita jam migrasse cognoscimus, temporis ratione perspecta, hoc modo decernimus ad veniam pertinere, quod nuper de ipso Photio, licet ipse, absque consultu Sedis nostræ, Officium sibi interdictum usurpaverit, gestum constat fuisse. Nos Statutis Apostolicis non præjudicantes, nec Beatorum Patrum Regulas resolventes, quin potius earum auctoritatibus freti, qui Nicæni Concilii cap. 2. apertissime dicunt: Quoniam plura ante per necessitatem, aut alias cogentibus hominibus, adversus Ecclesiasticam facta sunt Regulam. Hinc & Gelasius Papa dicit: Quod ubi nulla perurget necessitas, Constituta Patrum inviolata serventur. Et S. Leo eodem Spiritu præcipit, omittendum esse, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Inde, & Felix Præsul Decessor noster, in sua Decretali Epistola dicit tractandam esse necessitatis rationem, & aliter voluntatis. Inde S. Concilium apud Affricam gestum cap. 35. jubet, ut Clerici Donatistarum, propter Ecclesiæ pacem, & utilitatem, si correcto consilio ad Catholicam unitatem transire voluerint: si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur:*

*tur: non ut Concilium, quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissolvatur; in quo videlicet Concilio statutum est, ut ordinati in parte Donati, si ad Catholicam transire voluerint, non recipiantur in honoribus suis.* De hoc etiam B. Papa Innocentius dicit cap. 41. *Quod ii, qui a Bonoso hæretico ordinati sunt, propterea sint recepti, ne scandalum remaneret Ecclesiæ. Nunc itaque aliis Patriarchis, Alexandrino videlicet, Antiocheno, & Hierosolymitano, atque omnibus Archiepiscopis, Metropolitis, Episcopis, Sacerdotibus, cunctoque Clero Constantinopolitanæ Sedis, qui de Ordinatione B. Methodii, & Ignatii Reverendissimorum Patriarcharum existunt, una voluntate, parique voto consentientibus,* * *eundem Photium satisfaciendo, misericordiam coram Synodo, secundum consuetudinem postulantem, in vera dilectione Fratrem, in Pontificali Officio Comministrum, atque coram Synodo misericordiam quærendo, in Pastorali Magisterio Consacerdotem pro Ecclesiæ Dei pace, & utilitate, amodo, Christo favente, recipimus, & habemus.*

*Obreptum fuit Pontifici ab Impostore Photio id falso scribente.*

Et infra: *Nos, quibus secundum Apostolorum omnium Ecclesiarum Dei sollicitudo incumbit, controversiam aliquam in Ecclesia Dei amplius remanere nolentes; hunc ipsum Patriarcham, cum omnibus sive Episcopis, sive Presbyteris, sive cæteris Clericis, & omnibus Laicis, in quos divini Judicii fuerat censura prolata, ab omni Ecclesiasticæ Sanctionis vinculo absolvimus, sanctæque Constantinopolitanæ Ecclesiæ judicamus Sedem recipere, dominicique gregis esse pastorem, illa scilicet potestate fulti, quam Ecclesia toto orbe diffusa credit nobis in ipso Apostolorum Principe a Christo Deo nostro esse concessam, eodem Salvatore B. Petro Apostolo præ ceteris specialiter delegante: Tibi dabo Claves Regni cælorum, & quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælis: Sicut enim ex his verbis nihil constat exceptum, sic per Apostolicæ dispensationis Officium, & totum possumus procul dubio generaliter alligare, &*

to-

*totum consequenter absolvere: Praecipue, cum ex hoc praeberi magis cunctis opporteat Apostolicae Miserationis exemplum.* Eam praeterea conditionem restitutioni Photii Joannes Pontifex adjecit, ut Bulgariam Ecclesiae Romanae restitueret. Decrevit denique, ut post ejus obitum nusquam e Laicis, & Curialibus, sed ex Clero Constantinopolitano Ecclesiae Patriarcha eligeretur.

## §. XXVII.

### *Photius a Joanne VIII. restitutus, Pseudo-Synodum adversus Oecumenicam VIII. celebrat, quam pariter nuncupat VIII.*

Cum Oratoribus Imperatoris Basilii *Joannes VIII.* Pontifex Maximus novum Legatum Constantinopolim direxit *Petrum*, Tituli *S. Chrysogoni* Presbyterum Cardinalem, qui duobus aliis Legatis *Paulo*, & *Eugenio* jam in Oriente degentibus adjunctus, Ecclesiae Constantinopolitanae statum secundum mandata Sedis Apostolicae, in Commonitorio contenta, quod ex Synodi sententia ipsi datum est, componeret. Petrus in Regiam Urbem pervenit Mense Novembri anni octingentesimi septuagesimi noni. *Photio* Summi Pontificis Epistolas, & Commonitorium imprudentes, & ignavi Legati tradidere, ut postulabat, specie quidem eas vertendi in linguam Graecam, ut in Synodo mox celebranda significarentur Orientalibus Episcopis, revera autem, ut eas pro arbitrio truncaret, immutaret, interpolaret, Id ausus est nebulo ad fraudem omnem compositus. Quae ab eo deleta sint, quae addita, quae immutata, facile perspicies, si ipsas contuleris, prout in *Joannis VIII.* Regesto servatae sunt, & prout leguntur in Photiana Synodo, quod egregie praestitit Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens, ad annum 879. Delevit

*Photius Romani Pontificis litteras interpolavit.*

vit inter alia perditus impostor conditionem harum tenore litterarum sibi impositam de venia coram Synodo deprecanda: addidit in probationem, ac rescissionem octavæ Synodi ante decem annos Constantinopoli contra ipsum celebratæ, & omnium, quæ a Summis Pontificibus *Nicolao* I., *Hadriano II.* in illum gesta erant. Hac adornata fraude, Synodum habuit in celeberrima *Sanctæ Sophiæ* Ecclesia, in qua trecenti & octoginta Episcopi ipsius devoti partibus adfuere, cum Orientalium Patriarcharum Vicariis, & Legatis Apostolicis, ut nihil amplius ad Oecumenicam Synodum desiderari videretur. Sed & Imperator cum Filiis suis, & Imperii Collegis, eam præsentia sua decoravit. Præfuit Synodo *Photius* ipse, quamvis ejus causa ageretur; adeo longe aberat a roganda coram Synodo venia, sicut indixerat Summus Pontifex: Legati Sedis Apostolicæ ipsi assidebant, Romani Pontificis Majestatem, & Legationis Auctoritatem suæ, ignava conniventia indignissime prodentes. Quinque Actionibus absoluta est Photiana illa Pseudo-Synodus. *Actionem primam* Photius eleganti, sed fastum tota spirante Oratione aperuit, qua multis ad sui ipsius commendationem artificiose præmissis, falso gloriabatur *Joannem VIII.* Romanum Pontificem, agnita causæ ipsius æquitate, ad ipsum rediisse, & honorifica Legatione ipsum priorem convenisse. Perorantem *Photium* excepit *Joannes* Heracleæ in Thracia Metropolita, contra Romanam Ecclesiam, & SS. Pontifices *Nicolaum I.* & *Hadrianum II.* velut omnium tumultuum, & malorum, quæ in Ecclesia Constantinopolitana acciderant, & illatæ immerito *Photio* persecutionis auctores, insolenter declamans; *Joannem* vero *VIII.* commendans effuse, quod suorum Decessorum vestigiis haud insistens, Ecclesiæ utriusque unitatem mediis convenientissimis procuraret. Tum Sedis Apostolicæ Legatis Episcopalia indumenta, & Patriarchicæ Insignia Dignitatis *Photio*, Joannis Papæ nomine obtulere; quamvis de implen-

plendis conditionibus, ſub quibus ipſum reſtituebat Pontifex, ne quidem cogitaret. *Actione ſecunda*; lectæ ſunt litteræ *Joannis VIII.* Summi Pontificis ad Imperatorem, & ad *Photium*, ab ipſo *Photio* interpolatæ; nec non Epiſtola *Michaelis* Alexandrini Patriarchæ ad eundem Principem, qua Synodi octavæ contra *Photium* habitæ abolitioni ſuffragabatur. Tum introductus eſt in Conſeſſum *Thomas* Metropolita, Antiocheni Patriarchæ Vicarius, cujus nomine Synodo ante decem annos contra *Photium* Conſtantinopoli habitæ, cum aliorum Patriarcharum Orientalium Legatis interfuerat: Hic vero profeſſus eſt alios duos, qui obierant, a Patriarchis, quorum ſe dixerant Vicarios, Auctoritatem habuiſſe nullam: Palinodiam vero de Miniſterio in eadem Synodo exhibito, pœnitentis voce, recantavit homo venalis. Lecta eſt deinde Epiſtola *Theodoſii* Patriarchæ Hieroſolymorum ad *Photium*, tota panegyrica. Lecta & altera Patriarchæ Antiocheni, ejusdem argumenti. *Actione tertia, & quarta*, lectæ ſunt literæ *Joannis* Papæ ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam, & Epiſcopos ipſi ſubjectos, a *Photio* pariter interpolatæ; ut & Commonitorium Legatis a Sede Apoſtolica datum. Capitula quinque, quaſi ab ipſis Legatis Synodo propoſita, perlecta ſunt: primum de Bulgarica Diœceſi: ſecundum, de Laico in Patriarcham deinceps non eligendo: tertium, de aſſumendo Patriarcha ex ipſius Eccleſiæ Clero: quartum, de abroganda Synodo contra *Photium* celebrata: quintum de iis, qui cum *Photio* communicare nollent, excommunicatione plectendis. Poſteriora duo Capita *Photium* ſpectantia, ſummo applauſu recepta ſunt. Primum de Bulgarica Diœceſi, arbitrio Imperatoris commiſſum eſt. Circa duo reliqua vitilitigarunt Photiani Epiſcopi. *Actione quinta*, confirmata eſt ſeptima Synodus Oecumenica contra Iconomachos. *Metrophani* Smyrnenſi Metropolitæ, qui ſemper a *S. Ignatio* ſteterat, qui octavæ Synodi ingenium fuerat, qui ejusdem *Photii* Commu-

munionem constantissime recusabat, dicta dies. Tres denique Canones editi sunt.

Canones Photianæ Synodi.

*Primus Canon* jubet, ut Italiæ Episcopi, Clerici, vel Laici a Romano Pontifice depositi, vel excommunicati, a *Photio* quoque pro depositis, & excommunicatis habeantur; & vicissim depositi, vel anathematizati a *Photio*, a *Joanne* Pontifice, & Romanorum Ecclesia ejusdem pœnæ judicium subeant, *Privilegiis Romanæ Ecclesiæ nihil penitus novatis.* Quo Canone Patriarchæ omnes æquales significantur, & per cuniculos convellitur jus appellationum ad Apostolicam Sedem, & Romani Pontificis Primatus.

*Canon secundus* statuit, *Ut, si quis Episcopus ad Vitam Monasticam descendere, & pœnitentiæ locum implere voluerit, Antistitis dignitatem non amplius retineat.* Rationem subdit: *Monachorum enim instituta ad obedientiæ, & disciplinæ rationem pertinent, minime vero ad Magisterii, & Præfecturæ: atque eorum sunt, qui non alios pascere, sed pasci profitentur.* Huncce Canonem eo consilio condidit *Photius*, ut *S. Ignatium*, qui e Solio Patriarchali pulsus, in Monasterium secesserat, ad Ecclesiæ regimen redire non potuisse, & a Sede Apostolica, & octava Synodo illegitime restitutum fuisse, imperitis persuaderet. *Innocentius III.* in Epistola Decretali ad Faventium Episcopum, relata lib. 1. Decretalium Tit. 9. Capit. 11. hunc Canonem ex memoriæ lapsu tribuit Concilio Oecumenico Constantinopolitano Primo, Faventino Episcopo ad Archiepiscopatum Ravennatem translato, Præpositus, & Canonici Faventini jus eligendi in I. Concanonicum summo consensu detulerant. Ipse vero *Joannem* Canonicum Regularem *S. Fridiani*, Sarnatensem olim Episcopum, in Faventinum Antistitem postulavit. *Innocentius III.* Pontifex Maximus rogatus, ut postulationem illam approbaret: respondit:

*Innocentius III, Photianæ Synodi Canonem velut Synodi Oecumenicæ Decretum citat ex memoriæ lapsu.*

*Postu-*

*Postulatione bujusmodi videbatur Concilii Constantinopolitani Capitulum obviare, in quo statutum est, ut, quicunque de Pontificali Dignitate ad Monachorum vitam, & Pœnitentiæ locum descenderit, nequaquam ulterius ad Pontificatum resurgat. Unde contra dictum Concilium (cum sit unum ex quatuor principalibus, quæ sicut quatuor Evangelia Ecclesia Catholica veneratur) nullatenus videbatur eorum postulatio admittenda.* Canonem tamen illum, quem, fallente memoria, Concilio I. Constantinopolitano tribuit, sic intelligendum esse docet *Innocentius*, ut ad Episcopalem dignitatem resurgere non valeat, qui propter crimen Episcopatum deserens, Vitam Monasticam agendæ Pœnitentiæ causa, amplexus est. Cæterum speciales esse casus, in quibus, prædicto Concilio non obstante, is qui vitam Monachalem elegit, rursum licite potest ad Episcopatum assumi. *Si enim quisquam persecutionis rabie sæviente, vel præpediente invaletudine corporis, cum proficere nequeat in regimine Pastorali, de Superioris Auctoritate ad Monasticam vitam descendat: persecutionis, vel ægritudinis impedimento cessante, ad Episcopalem poterit resurgere dignitatem. Item, si quis propter litteraturæ defectum, locum regiminis Auctoritate Apostolica deserendo, ad otium se contulerit Monachale, ac per exercitium lectionis, scientiæ repererit margaritam, procul dubio poterit denuo vocatus a Domino, Cathedram reascendere Pastoralem. Rursus, si quis per cupiditatem parentum (eo tamen penitus ignorante) fuerit Episcopatum adeptus, & hoc comperto, Episcopatum ipsum de licentia Superioris dimittens, observantiam elegerit Regularem: etsi ad Episcopatum eundem redire postmodum nequeat, juxta Canonicas Sanctiones, ad alium tamen poterit licite reassumi. Quamquam autem in his, & consimilibus casibus, is, qui Episcopatu dimisso, Monasticam vitam elegerit, resurgere valeat ad Officium Pastorale, nihil tamen in his contra præscriptum intelligitur Concilium attentari: quod in eo loquitur casu, cum propter aliquod crimen Episco-*

*ſcopatum quis deſerens, ad vitam Monaſticam Pœnitentiæ cauſa deſcendit. Unde quidam in eo caſu loqui dixerunt Capitulum ſupradictum, cum quis pro crimine, de quo convictus fuerat, vel confeſſus, ab Epiſcopali Dignitate depoſitus, in Monaſterio extitit ad Pœnitentiam agendam incluſus: Vel cum aliquis, propter grave crimen, pro quo Epiſcopatum retinens, Pœnitentiam agere digne non valebat, cedendi obtenta licentia, vitam Monachalem elegit. Aliis aſſerentibus ſic intelligendum eſſe Capitulum antedictum, ut per ſe reſurgere nequeat, id eſt, repetere, quaſi debitum, quod tali modo dimiſit, quanquam eligi poſſit, præſertim, ſi locum tantum, & non ordinem reſignavit.* Gratianus II. Parte Decreti Cauſa VII. Quæſt. VII. cap. *Hoc nequaquam* ſecundum illum Photiani Concilii Canonem, ut *Sanctæ Synodi* Decretum laudat: eundemque ex Gratiani Collectione uſurpat *S. Thomas* ſecunda ſecundæ, Quæſt. 185. Art. 4. in Reſponſ. ad ſecundum argumentum.

*Canon tertius* anathemate percellit ſæculares Magiſtratus, qui Epiſcopos, vel ſine cauſa, vel aliqua conficta cauſa, in carcerem conjicerent, aut verberibus afficerent.

De Proceſſione Spiritus Sancti hac in Synodo actum non fuit, quamvis *Photius* Eccleſiæ Romanæ fidem, Eum a Patre, & Filio procedere docentis damnatam vellet: ſed metuebat, ne Legatis Sedis Apoſtolicæ, qui ſe in reſtitutionis illius negotio faciles præbuerant, fidem peti, & Romanam Eccleſiam hæreſeos damnari minime paterentur, ſed totam Synodum in irritum mitterent. Quamobrem rem in aliud tempus diſtulit. Hanc aggreſſus eſt ſexta poſt Synodum hebdomada, die ſcilicet decima menſis Martii, qua ſuis Epiſcopis non in Eccleſia, ſed in Aureo Triclinio Palatii congregatis, præſente Imperatore, & Fidei Definitionem poſtulante, exhibuit ex omnium ſen-

ſententia Definitionem Fidei in ſeptem Synodis Oecumenicis comprobatam conteſtationibus additis, ne quid ab aliquo adderetur, vel minueretur; Symbolumque Nicænum a Conſtantinopolitana Synodo Oecumenica ſecunda expoſitum recitari juſſum eſt. Quo facto, Latinos ſuggillarunt, quod verba illa, *Filioque* Symbolo inſeruiſſent. Poſt triduum habito Conventu in magna Eccleſia, iterati Anathematismi, ſi quis adderet aliquid, vel minueret. Horum poſtremorum Conventuum Acta Pſeudo-Synodo ſuæ addidit *Photius* ſub titulo ſextæ, & ſeptimæ Actionis. Photianæ iſtius Pſeudo-Synodi Hiſtoriam habemus ex Actis Græcis Vaticanæ, & Columnenſis Bibliothecæ, quæ Latinæ reddidit *Federicus Metius*, ex cujus verſione illorum ſummam Annalibus inſeruit ſuis Cardinalis Hiſtoricus ad Annum Chriſti 879. Quin his in Actis multa ſint ab Impoſtore *Photio* ſuppoſita, Viri Doctiſſimi *Baronius*, & *Allatius* in Tractatu de VIII. Synodo Photiana, vix dubitant. Quod & Auctor Admonitionis Græco-Latinæ de Pſeudo-Synodo *Photii*, quæ habetur ad calcem Actorum Synodi Octavæ Oecumenicæ, colligit ex antiquiorum Hiſtoricorum, cum Græcorum, tum Latinorum, altiſſimo de Photiana illa Synodo ſilentio: cujus mentionem feciſſent, ſi tanto fuiſſet Epiſcoporum numero celebris.

## §. XXVIII.

*Joannes VIII. Photianam Synodum, Photiumque ipſum damnavit; quod & ejus Succeſſores fecere. Mentiuntur itaque Græculi nonnulli, qui eum in Eccleſiæ Romanæ Communione mortuum aſſerunt.*

Poſt Photianam Synodum, *Paulus Eugenius*, & *Petrus* Sedis Apoſtolicæ Legati prævaricatores Romam rediere, *Baſilii* Imperatoris, & *Photii* litteras ad *Joannem* Pontificem Maximum perferentes; cui

diſſimularunt omnia, quæ Conſtantinopoli in Pſeudo-Synodo contra Sanctorum Pontificum *Nicolai*, & *Hadriani*, atque Synodi Octavæ Oecumenicæ Decreta, nec non contra ipſiusmet *Joannis* mandata egerant, agique permiſerant. Nil aliud retulere, quam redditam, reſtitutione *Photii*, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ pacem; Bulgariam quoque (prout juſſerat) Eccleſiæ Romanæ reſtitutam: Imperatorem denique Claſſem mittere, quæ Italiam a Saracenorum incurſionibus tueretur. Id *Baſilii Auguſti* litteræ confirmabant, ut conſtat ex Epiſtola CCLI. *Joannis VIII.* ad ipſum data .... Sed *Photii* litteræ ſuperbiam contumacem ſui ſpirabant Auctoris. His enim ſignificabat ceſſiſſe omnia ſecundum votum Pontificis: tantum ſe miſericordiam coram Synodo non rogaſſe, quod proprium illud ſit eorum, qui aliquid inique geſſerunt. Hinc ſuſpicatus eſt Pontifex, non in hac duntaxat parte, ſed in aliis quoque Capitibus Legatos, quos ad Synodum Conſtantinopoli celebrandam miſerat, mandata ſua prætergreſſos. Quamobrem datis ad *Photium* litteris, ipſum, nimia licet lenitate, & mollitie reprehendit: ejus reſtitutionem quaſi miſericorditer factam ſe ſuſcipere, & approbare ſignificavit: cæterum ſe mittere in irritum, quidquid *Paulus*, *Eugenius*, & *Petrus* Legati in dicta Synodo contra Sedis Apoſtolicæ mandata fortaſſis egiſſent. *Sed cum Nos*, inquit, *ſcriptis, & verbis, miſericorditer tecum ſpecialiter agendum eſſe decreverimus, mirandum valde eſt, cur multa, quæ nos ſtatueramus aut aliter habita, aut mutata eſſe noſcantur; & neſcimus cujus ſtudio, vel neglectu variata monſtrentur. Ceterum ſcribens ſubintuliſti, quod, te innuens, non niſi ab iniqua gerentibus miſericordia ſit quærenda, &c. Nam & ea, quæ pro cauſa tuæ reſtitutionis Synodali Decreto Conſtantinopoli miſericorditer acta ſunt, recipimus. Et ſi fortaſſe noſtri Legati in eadem Synodo contra Apoſtolicam Præceptionem egerunt, nos nec recipimus, nec judicamus alicujus exiſtere firmitatis.* Hanc Epiſtolam, quæ in Regeſto

*Joan-*

*Joannis VIII.* CCL. numeratur, & alteram ad *Basilium* Augustum, Pontifex *Marino* Cardinali, qui vice *Hadriani II.* octavæ Synodo Oecumenicæ, cum aliis Legatis præfuerat, ac *Photium* damnarat, perferendas tradidit, eique nova Legatione exornato dedit in mandatis, ut cuncta, quæ in postrema Synodo perperam per tres Legatos gesta essent, Auctoritate Apostolica rescinderet. Id præstitit incredibili magnanimitate intrepidus *Marinus*, cum rerum in Photiana Synodo gestarum seriem Constantinopoli didicisset, ac *Photii* damnationem in Synodo octava factam Sedis Apostolicæ nomine confirmavit. Id Apostolicæ libertatis facinus Imperatoris adeo commovit animum, ut gentium jure, & Legationis Pontificiæ majestate violata, *Marinum* in carcerem conjecerit, eumque triginta diebus captivum detinuerit. Constant ista ex Litteris *Stephani VI.* ad *Basilium* Imperatorem. Denique de his omnibus certior factus *Joannes VIII.* Decessorum suorum *Nicolai I.*, & *Hadriani II.* Sententias in *Photium* confirmavit, novoque ipsum damnavit Anathemate ritu solemni conclamato; ut docet series Synodicarum Sententiarum, & Decretorum Romanorum Pontificum, extans post Epistolam *Formosi* Papæ ad *Stylianum*, in Appendice Auctorum Græcorum Synodi VIII. Oecumenicæ, a *Matthæo Radero* S. J. Latio donatorum. Recensita enim *Hadriani II.* Sententia in Concilio centum & viginti Episcoporum contra *Photium* lata, hæc in eodem venerandæ antiquitatis Monumento leguntur: *Hanc sententiam Papa Hadrianus pronuntiavit, quando Archidiaconus illius Joannes, qui illi in Pontificatu postea successit, velut omnium ore ad illum ita exclamavit: Videmus Sanctissime, & Oecumenice Domine Pontifex, in Photio expletum illud Psalmi oraculum,* (Ps. 72.) „ Dixit peccator, ut delinquat in semet- „ ipso, non [illegible] timor Dei ante oculos eius. *Posuit enim in cælum os suum, & rictum deterrimum con-*

*tra Clavigerum, Apostolicumque Thronum aperuit. Accendatur ergo velut ignis zelus tuus, & accingere veluti vir femur tuum, & contumeliam Apostolicæ Sedi irrogatam velut justus Judex ultum eas, falceque Sententiæ tuæ memoriam ejus rescinde, omnesque, qui illum sequuntur, vel tuentur, anathematis nexibus stringantur, & nisi viva voce, manuque sua illi anathema dicant, scribantque, nec ad Laicorum quidem cœtum admittantur. Hæc, qui pronuntiavit Joannes, cum Hadriani Thronum Successor occupasset, Photium eundem damnavit, quando Eugenium, & alios in Bulgariam missos Photius per fraudem circumvenit, & corrupit. Nam Joannes accepto Evangelio ambonem conscendit, cunctisque audientibus dixit: Quicunque Photium non justo Dei judicio condemnatum judicat, quemadmodum nempe illum hi, qui me præcesserunt, Nicolaus, & Hadrianus Sanctissimi Papæ damnatum reliquerunt, Anathema esto.* Hæc annis octingentesimo octogesimo primo, & secundo gesta sunt.

*Joannis octavi* Successor *Marinus*, ut primum Pontifex renuntiatus est, *Photium* rursus damnavit, omniaque ejus Acta rescidit. Quod impatientissime ferens *Basilius Augustus*, Romam scribere ausus est, ipsum non esse legitime electum Pontificem, quod alterius Ecclesiæ fuisset Episcopus, multaque alia adversus eundem effutiit. Sub *Marini* Pontificatu, *Photius* ad Aquilejensem Patriarcham Schismaticum doctrinam Ecclesiæ de Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio audacissime impugnantem, Epistolam scripsit contra idem Catholicæ Ecclesiæ dogma, quam ex Codice MS. Vallicellaniæ Bibliothecæ a *Federico Metio* Latinitate donatam descripsit Cardinalis *Baronius* ad Annum Christi octingentesimum octogesimum tertium.

Qui *Marino* Papæ successit *Hadrianus III.* a *Basilio* Imperatore sollicitatus, ut cum *Photio* ceu legitimo Pa-

Patriarcha in rebus fidei, & religionis communicaret, a Decessoris sui sententia dimoveri non potuit, eumque semper, ut damnatum ab Ecclesia execratus est, & ut Laicum insectatus. Sui præ ira haud compos Imperator, contumeliosas ad Sanctum Pontificem litteras dedit: quæ *Hadriano* citius defuncto ejus Successori *Stephano VI.* redditæ sunt.

Illis respondet *Stephanus VI.* Basilium acerrime objurgans, *Marinum* Pontificem vindicans a calumnia, & *Photii* damnationem confirmans. *Marinum* fuisse antea Episcopum ordinatum negat; quod etsi verum fuisset, impedimentum canonicum non erat ne Summus Pontifex eligeretur. *Quicunque*, inquit, *dicunt Marinum fuisse antea Episcopum, ac proinde non potuisse ad aliam Sedem transferri, ostendant illi id aperte. Scito, dilecte, & omni honore digne Imperator, quod licet illi impedimento fuisset, quod objicitur de Canone, cum tamen id nunquam fuerit: multitudo tamen SS. Patrum, & illorum Auctoritas, & judicium potuit illum constituere in primo gradu. Et divina providentia prænoscens Ecclesiæ Dei utilitatem, in Sedes Principis Apostolorum Petri illum collocavit. Quid vero magnus ille Gregorius cognomento Theologus? Nonne Nazianzo translatus est? Et Meletius, Sebasta Antiochiam? Et Dositheus, Seleucia Tarsum Ciliciæ? Et Reverentius, Archiphœnice Tyrum? Joannes, Gordolia Proconnesum? Theodorus, Apamea Selymbriam? Alexander, Cappadocia Hierapolium? Et multi alii diversis in locis translati sunt e suis sedibus ad alienas? Dicat Celsitudo tua, quibus accusatoribus, & quibus testibus affirmantibus Beatum Marinum fecisse, quæ tu dicis, illum condemnasti? An ignoras, in prima Nicæna Synodo, quod Beatus Sylvester proclamaverit per Legatos, præsente ibidem S. Constantino; Ut prima Sedes a nemine judicetur? Quid deliquit Sancta Romanorum Ecclesia, ut adversus eam linguam tuam vibrare, & con-*

*citare Seductor iste induxerit? Num juxta antiquum morem, de Synodo Constantinopoli habenda, ad te litteras non dedit? Num pro eadem Synodo curam non gessit? Tum contra Photium hæc subdit: Cuinam scriberet Romanorum Ecclesia? Laico scilicet Photio? Si enim haberes Patriarcham, frequentibus nostra Ecclesia illum litteris visitaret. Sed hei mihi, quod ista gloriosa, & a Deo custodita civitas Constantinopolis Pastoris silentio est orbata? Et nisi amor, quo te prosequimur, cohibuisset . . . . coacti fuissémus adversus prævaricatorem Photium, qui contra nos impura evomuit verba, graviores pœnas infligere, quam Prædecessores nostri. Neque enim hoc dicimus ad tui contumeliam; sed tantum ad nostram defensionem, & Marini majorem gloriam, qui eadem sapuit, & sensit cum Prædecessore, & Doctore nostro Sanctissimo Papa Nicolao.* Scripsit has litteras *Stephanus VI.* anno Christi octingentesimo octogesimo quinto; quæ *Leoni* ejus filio, cum ille interim obiisset, redditæ fuere anno sequenti.

*Infractorum veniam Canonum, & dispensationem a R. Pontifice rogant Orientales Episcopi, & Imperator.*

*Leo Augustus*: merito *Sapientis* nomen consecutus, cum Summi Pontificis Litteras perlegisset, expendissetque, *Photium* tyrannum e Sede Constantinopolitana, cui incubabat, protinus exturbavit; *Stephanum* vero Principem fratrem suum Patriarcham designavit, & inaugurari jussit: moxque *Styliano* Neocæsareæ Metropolitæ, & aliis ejus in Photiana persecutione Commilitonibus, Episcopis, Præpositis, Presbyteris, Diaconis, aliisque veritatis, & pietatis Sectatoribus revocatis, his verbis ipsos est allocutus: „ Nostrum ex „ Deo Imperium, perpensa veritate, iniquum illum „ hominum Photium a Sede Patriarchali ejecit, & „ vestram persecutionem sedavit. Nec ullo pacto cogam quemquam vestrum, ut inviti cum illo communicetis, quin potius oro Pietatem vestram, ut „ communicetis cum fratre meo, & fiat unum Ovile. Sin autem inconsultis Romanis, qui Photium

„ da-

„ damnaverunt, nolueritis fratri meo convenire, quo-
„ niam videlicet a Photio Diaconus fuit ordinatus,
„ venite, ſcribamus, & mittamus una Romam ad Pon-
„ tificem, ut diſpenſet abſolutionem Anathematis iis,
„ qui a Photio fuerunt ordinati. Id docet Appendix Actorum Græcorum VIII. Synodi in Codice Columnenſi.

Scripſit igitur *Leo Auguſtus ad Stephanum VI.* Pontificem Maximum, ſcripſit & *Stylianus* ſuo, & Symmiſtarum nomine: illumque rogarunt, ut infractorum in Ordinatione *Stephani* Patriarchæ Canonum veniam concederet, ac populo ignoſceret, qui fraude *Photii*, & Legatorum deceptus, poſt obitum *S. Ignatii* rurſus *Photio* adhæſerat. *Quoniam vero*, inquit Stylianus, *ſcimus*, *quod a veſtra Apoſtolica Sede corrigi*, *& juxta Canones corripi debemus: hac de cauſa humilibus his noſtris literis tuam oramus Venerabilitatem*, *ut miſericorditer nobiſcum agas*, *cum populo videlicet*, *qui non ſine rationabili cauſa* * *Photii Ordinationem recepit: ut ne, qui Apoſtolicæ Sedis Legatis Rhadoaldum, & Zachariam, qui initio Photium confirmarunt in Conſtantinopolitana Sede*, *deinde Eugenium*, *& Paulum*, *qui ſecunda vice cum Photio communicarunt*, *excepit*, *uno cum Photio interitu damnetur*, *nec alius infinitus numerus ab Eccleſia pellatur: hoc enim facere conſuevit Eccleſia.* Id probat exemplis Synodi Chalcedonenſis, quæ *Dioſcorum* iniquitatis Principem damnavit, eos vero, qui ab ipſo fuerant ordinati, vel lapſi fuerant, per Pœnitentiam ſuſcepit: Synodi VII. Oecumenicæ, quæ Auctores hæreſeos Iconomachorum damnavit; illorum vero ſequaces per Pœnitentiam admiſit. *Quapropter*, inquit, *decet etiam tuam ſingularem Virtutem*, *Photium quidem tanquam ab initio Schismaticum*, *& a Schismaticis illegitime ordinatum*, *& propter alia multa*, *quæ operatus eſt mala expellere: eos vero*, *qui ab ipſo decepti ſunt*,

* *Id eſt venia digna.*

 *miſe-*

*misericorditer cum illis dispensari rogamus*, * *ut Ecclesiæ pax, & tranquillitas ita restituatur, &c.*

*Stephanus* Pontifex, cum nonnullam dissenssionem inter *Styliani*, & Imperatoris literas animadvertisset, quod illæ *Photium* a Catholicis ejectum assererent, hæ sponte abdicatum, privatam, & Religiosam Vitam sectari, timuit ne sibi obreperent: quamobrem dispensationem, quam rogabant, suspendit, jussitque mitti ab utraque parte Legatos, qui rei veritatem aperirent. * *Nos igitur*, inquit, *absque diligenti inquisitione qualecunque Judicium proferre non possumus. Quapropter nunc Sententiam prorogavimus: & opus est utriusque partis Religiosissimos Episcopos mitti, ut perpensa omni dubitatione, & veritate utrinque manifestata, dicere possimus, quod Deus voluerit. Romana enim Ecclesia instar speculi, & exemplaris reliquis Ecclesiis constituitur. Et quodcunque definierit, in sempiternum manet incorruptum: & hac de causa Sententias magna cum inquisitione ferre decet.*

* *Epist. I. Romanam Ecclesiam Sententias magna cum inquisitione ferre decet.*

Anno octingentesimo octogesimo nono, Legati missi sunt Romam a *Leone Augusto*, & Orientalibus Episcopis. Per ipsos ad *Stephanum* Pontificem *Stylianus*, & reliqui Episcopi scripsere, veniam Canonum pro lapsis etiam, atque etiam rogantes. Has literas *Formosus Stephani VI.* in Apostolica Sede Successor accepit anno Christi octingentesimo nonagesimo primo, & ad illas respondit. Duo distinxit lapsorum genera, Sæculares venia dignos scripsit, non ita Sacerdotes: quia *Dignitatem præbere non potuit, qui dignitatem non habebat. Nihil potuit dare Photius præter damnationem, quam habuit per impositionem obliquæ manus, & damnationem præbuit. Quomodo dignitatem potuit accipere, qui particeps factus est condemnato?* Addit *Photium* foveri, cum pro iis, qui ab ipso sunt ordinati, misericordia rogatur. Gravissimas propterea pœnas

*Epistola Formosi ad Stylianum.*

nas illis deberi, quibus Ecclesia Constantinopolitana, tot fœdata vitiis purgetur. Verum benignitatem, & fraternam dilectionem suadere, ut alia toleret, alia penitus e medio tollat. Hanc ob causam mittere se Legatos Religiosissimos Episcopos *Landulphum* Capuanum, & *Romanum*, quibuscum & *Styliano* ipso, necnon *Theophylacto* Ancyræ Metropolita, omnia transigantur. Duas tamen conditiones præscribit: primam, ut ante omnia confirmetur *Photii* damnatio. *Ut ita ante omnia in Photium prævaricatorem, & legum eversorem, Sententia a Prædecessoribus Oecumenicis Pontificibus Synodice prolata, necnon a nostra Humilitate confirmata, perpetuo tempore immutabilis permaneat.* Secundam: *Ut qui a Photio fuerunt ordinati, oblatis Libellis se deliquisse fateantur, & Pœnitentiæ veniam deprecentur, pollicentes se nunquam tale quid commissuros.*

De *Photio* post ultimam ejus exauctorationem sub *Leone Augusto*, nihil amplius in Historia legitur. Ipsum in unitate Ecclesiæ Catholicæ obiisse scribit *Manuel Calecas* Græcus Auctor Orthodoxus lib. 4. contra Græcos. Mortuo scilicet Ignatio, *Joannem VIII.* indignatione contra *Photium*, ac simultate deposita, Patriarcham appellasse, misisseque illi omnia, quæ a Romano Episcopo iis, qui nuper instituebantur, mitti erant solita. Ideo *Photium* voti compotem effectum, pugnam adversus Romanum Pontificem posuisse, & Patrem illum ac Sanctum, ad extremum usque vitæ spiritum agnovisse. Græci Schismatici nonnulli afferunt, *Photium* cum Latinis in Communionem rediisse, quod illi errores ejurassent, ac Professionem Fidei ad ipsum misissent. Quod inter alios *Michael Anchiali* in Dialogo cum *Emmanuele Comneno*, Auctor libri de Separatione Ecclesiæ Romanæ a Græca, *Maximus Marguinus* in Dialogo Græci cum Latino, & alii effutiunt, apud Allatium, *De Ecclesiæ*

*Occidentalis*, & *Orientalis Perpetua Consensione*, lib. II. cap. VI. Verum Breviarium Synodi Octavæ ad ingressum Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ appensum, cujus Auctor *Photium* videre, & alloqui potuit, Schismaticos illos Græculos refellit luculenter. *Photius*, inquit, *quadraginta quinque annis ad hodiernum usque diem, a Papa nempe Leone usque ad Formosum excommunicatus fuit. Nam annis undecim adhuc Politicus excommunicatus fuit, quod cum Gregorio Syracusano communicaret: & alios quatuor supra triginta annos, postquam Sacris initiatus est. Etenim Leo, Benedictus, & Nicolaus, Gregorium propter varias, & graves noxas anathemate damnarunt. Ubi vero Photius a damnato consecratus est, cum propter alia illius facinora, tum quod Sacris a Gregorio esset initiatus, a novem Pontificibus Romanis, Leone, Benedicto, Nicolao, Hadriano, Joanne, Marino, Hadriano III. Stephano, & Formoso, Anathematis fulmine est ictus.* Idem Breviarium asserit *Photium* a *Joanne VIII.* absolutum non fuisse, sed nec absolvi potuisse: vehementerque improbat dispensationis, & pacis fucum, quem *Joannes* prætexebat. Negat absolutum, quia in eo statu nunquam fuit, quo absolutionem promereretur, & quia Pontifex de illius impœnitentia, novisque fraudibus certior factus damnationem ejus ex ambone paulo post promulgavit. Negat absolvi potuisse a *Joanne VIII.* qui ab ejus Decessoribus erat damnatus: quia Pœnitentiam non egit. *Quæ omnia* (inquit) *cum a Photio perpetrata sint, quomodo non mentiuntur, qui affirmant illum a Papa Joanne fuisse absolutum? Qui ab altero ligatus est, ab altero solvi non potest. Quemadmodum neque Papa Joannes Photium a priore Pontifice ligatum absolvere potuit. Neque per modum dispensationis fieri posse quis concedat. Etenim Divus Chrysostomus ait;* Ibi esse dispensandum, *ubi non sit prævaricandum; quemadmodum & ipse fecit, cum Ephesinis Episcopis propter simoniam damnatis Sacramentorum usum*

in

*in sacrario indulsit, cum ob rem sacram munera accepissent, quod se defenderent, id se ex diu jam usurpato more factitasse, atque in id criminis incidisse. Has omnes ob causas fieri non potest, ut Ecclesia Romana eos, qui ad quadragesimum quintum annum usque ab ipsis Patribus excommunicati manserunt, hodieque manent, per dispensationem in Sacerdotium restituat. Pulchrum est, inquit Magnus ille Maximus, pacem colere. Recte: sed cum iis, qui in religione, seu fide conveniunt: tum enim præstat bello pax, cum pax ad honestam, & æquam concordiam ducit. Ne vero mihi hanc tu concordiam appellites, sed discordiam potius, & sectionem. Tunc enim pacis nomen, atque rem valere judico, cum Sanctorum Patrum Decretis, & Auctoritati non repugnamus, aut contraria molimur.*

Contra nugas recentiorum quorumdam Græcorum afferentium *Photium* in Communione Ecclesiæ Romanæ obiisse, lege *Leonem Allatium* loco superius laudato, ubi ex eo maxime illos urget, quod, si *Photius* Ecclesiæ Romanæ reconciliatus est, ipsi Patriarchæ sui damnentur exemplo, cum inique defendunt, quæ ille, furiis agitatus, per fas, & nefas, in Latinam Ecclesiam oblatravit: qui Communionem, in qua illum defunctum garriunt, sectari potius deberent. Isto argumento ipsos premebat longe ante *Allatium* *Joannes* Patriarcha Constantinopolitanus Oratione III. ad *Theodorum* Sugdaiæ Episcopum.

## §. XXIX.

### *Cum Photio extinctum Schisma, ante Michaelem Cerularium non revixit.*

Patriarcham *Stephanum* Leonis Imperatoris fratrem cum Romano Pontifice Communionem fovisse, ex Synodi Octavæ Appendice certum est, similiter & ejus

ejus Successorem *Antonium Cauleam*, sub cujus Patriarchatu *Stylianus*, & Symmistæ ad Summum Pontificem pro absolutione, & dispensatione Lapsorum scripsere, agnoscentes se *ab Apostolica Sede regi*, *& gubernari debere*. Sub *Nicolao Mystico* Ecclesia Constantinopolitana turbata est ob quartas *Leonis* Imperatoris nuptias, quas ille approbare noluit, Imperatorem ob eas etiam a Communione removens. Sed tantum abest, ut propterea interrupta sit Ecclesiæ Græcæ cum Romana Communio, quin potius magis adstricta est. Romanus enim Pontifex *Joannes Nonus* ab Imperatore appellatus, Legatos misit Constantinopolim, qui Sedis Apostolicæ Auctoritate nuptias ipsius confirmarunt: Patriarcha præpostere severus, cum non assentiretur, in Monasterium detrusus est, & *Euthymius* vir sanctissimus in ejus locum subrogatus, qui annuente Summo Pontifice, Imperatorem ad Communionem admisit. Huic absolutioni multi ex Episcopis refragati sunt, maxime qui stabant a partibus *Nicolai Mystici*. Postea defuncto *Leone*, *Alexander* illius frater Imperio potitus, *Euthymio* detruso, *Nicolaum* in Sedem reduxit. Inde turbatior Ecclesiæ Constantinopolitanæ status, divisis inter se Episcopis, quorum pars ejecto, pars restituto Patriarchæ adhærebat. Utriusque tamen partis Episcopi, Romanæ Sedi Communione conjuncti erant.

Anno Christi nongentesimo vigesimo, utraque pars coaluit Synodo celebrata; in qua ab omnibus pro legitimo Patriarcha *Nicolaus Mysticus* agnitus est, Tomusque unionis, de abrogandis in posterum quartis nuptiis, Auctore *Constantino Porphyrogenito* editus. Ante hanc Synodum *Nicolaum* Patriarcham fuisse cum Romana Sede Communione conjunctissimum, demonstrat ejus Epistola ad *Simeonem* Regem Bulgarorum, quam ex Promptuario Rerum Græcarum *Aloysii Lolini* Bellunensis Episcopi Græce, & Latine describit Cardina-

lis

lis *Baronius* ad annum 917. Tunc in Cathedra S. *Petri* Romæ ſedebat *Joannes X.* annum ſextum Pontificatus agens. *Nicolao Myſtico* in Sedem Conſtantinopolitanam ſucceſſit *Stephanus* Amaſenus Epiſcopus, anno Chriſti circiter nongenteſimo trigeſimo: ſub quo nihil novatum. Eo poſt triennium defuncto, *Romanus*, Conſtantini Porphyrogeniti in Imperio Collega, *Theophylactum* liberorum ſuorum natu minorem, annos tantum ſexdecim natum, Patriarcham deſignavit, *Tryphone* Monacho interim inaugurato, qui Eccleſiam Conſtantinopolitanam regeret, donec legitimam attigiſſet ætatem, aut diſpenſationem obtinuiſſet juvenis Princeps. Orientales plerique Epiſcopi, & Clerus Conſtantinopolitanus intercedebant, ne Canonibus vulnus tam grave inferretur. Unde Imperator per *Albericum*, qui Romæ tyrannidem exercebat, a *Joanne* XI. Pontifice Maximo diſpenſationem in gratiam *Theophylacti* extorſit ſuper ætatis legitimæ defectu. Id teſtatur Chronographus MS. a *Leone Allatio* laudatus lib. 2. *de Perpetuo Conſenſu* cap. VIII. Sic enim habet in Conſtantino Porphyrogenito. *Conſecratur Patriarcha dictus Imperatoris filius Theophylactus, Februarii die II. Indictione. . . Cum Legati Pontificis Romam veniſſent, & Tomum Synodicum aſportaſſent, in quo de illius Ordinatione præcipiebatur. Qui, & eum in Patriarchali Solio confirmarunt.* Tunc igitur ſumma erat Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali conſenſio. Poſt mortem infauſtam *Theophylacti* indigniſſimi Patriarchæ, ejus in locum electus eſt *Polyeuctus* Hiero-Monachus. Quo ſedente, *Joannes XIII.* Pontifex Maximus Legatos miſit Conſtantinopolim ad *Nicephorum* Imperatorem pro conciliandis nuptiis inter *Annam* puellam Principem, Romani, & *Theophanæ* filiam, & *Ottonem* Juniorem Imperatorem anno 968. Quæ Legatio licet a *Nicephoro* male, & indecore ſit excepta, ob rationes Politicas, quod nempe Græcorum duntaxat Imperatorem ſe vocari impatientiſſime ferret, nihilominus ſumma erat Latino-

tinorum cum Græcis in rebus Religionis Communio, ut ex *Luitprando* Cremonensi Episcopo constat in suæ Legationis Relatione. *Polyeucto* Patriarchæ suffectus est *Basilius* Hiero-Monachus sub *Joanne Tzimisce* Imperatore. Hic anno 975. depositus est in Synodo Constantinopoli celebrata, *Basilio*, & *Constantino* Romani filiis imperantibus. Ipsi subrogatus est *Antonius* e celebri Monasterio Studii assumptus: qui, cum post annos administrationis duos, ad cellam rediisset, & Sedes quadriennio vacasset, ad ejus usque obitum successit ipsi *Nicolaus Chrysoberges*, qui annos duodecim, & menses octo Sedem tenuit. Sub ipso habita Synodus est, in qua diuturna de quartis nuptiis dissensio, quæ Constantinopolitanam Ecclesiam turbaverat, sedata fuit, & quartæ nuptiæ penitus prohibitæ. Hujus Concordiæ Monumentum exstat in Codice Juris Orientalis, lib. 2. Hac in Synodo jacta sunt quædam Schismatis renovandi semina, cum a factiosis *Photii* memoria æque, ac *Ignatii*, & aliorum Patriarcharum Orthodoxorum, solemnibus acclamationibus impune celebrata est.

*Nicolao Chrysoberge* defuncto, substitutus est *Sisinnius*, anno circiter 995. Is *Photii* Epistolam Encyclicam, quam in Ecclesiam Latinam Princeps ille Schismaticorum exaraverat, titulo immutato, & suo nomine supposito, ad reliquos Patriarchas transmisit. At Schisma, cujus renovationem meditabatur, suscitare non potuit. Successit ipsi *Sergius*, ex *Photii* genere, cujus calumnias in Ecclesiam Romanam, coacta Synodo instauravit. Negotium tamen separationis Ecclesiæ Græcæ a Latina perducere ad exitum non potuit, haud assentientibus cæteris Patriarchis. Unde Græci Schismatici recentiores mentiuntur, cum Romani Pontificis commemorationem e sacris Diptychis a dicto *Sergio* expunctam scripturiunt. Quos egregie refellit *Petrus Antiochenus* in Epistola ad *Michaelem* Cerularium apud *Allatium* lib. 2. de Perpetua Consensione,

cap.

cap. 1. *Et hac in re, inquit, ego quidem testis fidus, & alii multi Ecclesiæ Proceres, quod tempore B. memoriæ Patriarchæ Domini Joannis,* * *Romanus Papa, Joannes etiam (XIX.) nuncupatus, in sacris Diptychis habebatur. Et, cum Constantinopolim quadraginta quinque abhinc annis venissem, inveni tempore Beatæ memoriæ Patriarchæ Domini Sergii, prædictum Papam in sacra Missa una cum aliis Sanctissimis Patriarchis relatum. Quomodo vero deinde ejus relatio, & commemoratio e medio sublata sit, & quanam de Causa, ignoro.* Id confirmat *Joannes Veccus* Patriarcha Constantinopolitanus in Secunda Oratione partim Apologetica, partim Contradictoria.

* *Joannes ille Patriarcha fuit Antiochenus, ut ex textu Græco istius Chronographi patet non Constantinopolitanus, ut Baronius æstimavit.*

Post Sergium in Sedem Constantinopolitanam evectus est *Eustachius* Magnæ Ecclesiæ Archipresbyter, anno circiter millesimo vigesimo quarto. Eo sedente, ac suadente, *Basilius* Imperator missis Romam Legatis cum multis muneribus, a *Joanne XIX.* Pontifice Mamo petiit, ut liceret Ecclesiam Constantinopolitanam in suo Orbe, sicut Romanam in Universo, universalem dici, & haberi. Joannes paratus erat Græcorum votis clanculum annuere; sed eum *Wilhelmus Abbas S. Benigni* in Gallia a consilio Ecclesiæ tam exitiali gravissimis literis deterruit, ut testatur *Glaber lib. 4. cap.* 1. Nullum tunc Schisma fuisse Græcos inter, & Latinos hæc Historia manifeste probat.


Secundum *Eustachium*, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Sacris præfuit *Alexius* Monasterii Studii Abbas, ab anno millesimo trigesimo quarto, ad annum usque millesimum quadragesimum secundum, quo *Michael Cerularius* a *Constantino Monomacho* Patriarcha nominatus est. Hucusque unitatem inter Græcam, & Latinam Ecclesiam perdurasse sub decem, & septem Patriarchis post *Photium*, scribit *Manuel Calecas* Auctor Græcus Ordinis FF. Prædicatorum, lib. 4. adversus Græcos.

Quod

Quod etiam confirmat Auctor MS. libri *de Translationibus Episcoporum*, apud *Aliatium* lib. 5. *de Perpetua Consensione Cap. VIII.* Sed *Michael Cerularius* Schismatis post *Photium* auctor alter, nomen Romani Pontificis e sacris Diptychis erasit, ut ex Scylace refert *Manuel Calecas* loco laudato. De Schismate Græcorum per *Michaelem Cerularium* restaurato, agemus in Historia Ecclesiastica Sæculi XI.



DIS-



# DISSERTATIO II.

## ADVERSUS PHOTIUM, ALIOSQUE GRÆCOS SCHISMATICOS, DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI A PATRE ET FILIO.

### ASSERTIO I.

*Errorem Photii, aliorumque Schismaticorum Græcorum, negantium Spiritum Sanctum a Filio procedere, Scriptura Sacra, Patres Græci, & Latini ab utraque Ecclesia in Conciliis recepti, refellunt, nec valida ratione propugnatur ulla.*

*Processio Spiritus S a Patre, & Filio, Scripturæ Sacræ testimoniis demonstratur.*

Prima pars probatur ex verbis Christi Joannis XVI. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso: sed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Et antea de eodem Spiritu dixerat: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero: mittam eum ad vos.* Persona divina, quæ mittitur ab alia, & ab ea accipit, ab ipsa certe procedit: cum divinarum personarum missiones non sint secundum imperium, aut secundum consilium, sed secundum originem intelligendæ. Præterea ex eo probat Christus Spiritum Sanctum ab ipso accipere, quia omnia, quæ habet Pater, sua sunt: nihil ergo excipiendum, nisi id quo

Pater eſt. Virtus itaque ſpirativa Spiritus Sancti communis eſt Filio cum Patre. Ideo dicitur *Spiritus veritatis*, id eſt Filii. Et ab Apoſtolo ad Romanos 8. & ad Galatas 4. *Spiritus Filii* vocatur; congrue omnino, ſiquidem Chriſtus illum eſſe ſuum, & a ſe procedere, ſicut ſpiritus hominis ex ore ipſius procedit, proportione ſervata, diſerte ſignificavit *Joannis XX.* inſuflans & dicens Apoſtolis: *Accipite Spiritum Sanctum.* Et quamvis eum a Patre procedere doceat, non tamen a ſolo Patre; immo *Joannis XV.* a ſe pariter procedere docet verbis æquivalentibus, cum eum ſe miſſurum Apoſtolis a Patre pollicetur: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Perperam itaque loco illo Scripturæ Sacræ, & Chriſti verbis Græcorum Schismaticorum parens *Photius* in Epiſtola ſua Encyclica, & in Epiſtola ad Aquilejenſem Patriarcham abutitur. * Denique Spiritus Sanctus accipit a Filio, non aliquid creatum, ut nos accipimus, ſed divinum eſſe; cum nihil aliud poſſit accipere a Filio in Trinitate Sanctiſſima: Nam omne quod accepit, & accipit, & accipiet; id æternaliter habet. Et quod Filius a Patre audit, idem eſt, quod ſcientia: Scientia vero in divinis idem eſt quod eſſe: & audire a Patre, juxta expoſitionem Græcorum, ac Latinorum Patrum, eſt accipere eſſentiam, & ſcientiam a Patre: atque ita Spiritus audiens accipit a Filio, & auditio ſcientia eſt, & eſſe, & divina eſſentia, quæ omnia Spiritus a Filio accipit.

* *Sic ratiocinabatur Joannes Provincialis O. Prædic. contra Græcos, Seſſ. 12. Concilii Florentini.*

*Dogma Catholicum de Proceſſione Spiritus Sancti a Filio, Græci Patres confirmant.*

Probatur ſecunda pars teſtimoniis Patrum Græcorum, quos inter primus in aciem prodit contra Græcos Schismaticos *S. Athanaſius* in lib. *De humana natura ſuſcepta*, ubi pluribus e Scriptura Sacra locis allatis, in quibus Deus fonti, Spiritus Sanctus aquæ comparatur, ut Joannis IV. *Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

Et

Et cap. 7. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Et Psalmo 35. *Quoniam apud te est fons vitæ.* Ex iis ita colligit: *Noverat enim* (David) *apud Patrem Filium esse fontem Spiritus Sancti.* Et in Epistola ad Serapionem: *Ergo,* inquit, *non ex creatarum rerum genere est Spiritus Sanctus; ac demonstrandum est magis proprium ipsum esse Filii, neque alienum a Deo. . . Quod si Filius, quoniam ex Deo est, proprius est substantiæ ipsius, necesse est & Spiritum, qui ex Deo dicitur, proprium esse Filii secundum substantiam.* Et Oratione 4. adversus Arianos, *Non enim* (inquit) *& Filius particeps est Spiritus, ut propterea sit in Patre: neque accipit Spiritum: quin potius hunc omnibus largitur. Neque vero Spiritus Verbum cum Patre copulat, sed potius Spiritus a Verbo accipit. . . Ipse enim, ut dictum est, Spiritum dat; & quæcunque habet Spiritus, hæc habet a Verbo.*

II. S. *Basilius* lib. III. contra Eunomium. *Quid enim,* inquit, *necesse est, si dignitate, & ordine tertius est Spiritus, tertium ipsum esse natura? Nam dignitate secundum esse a Filio,* * *ut qui ab illo esse habeat, & ab ipso accipiat, & annuntiet nobis, & omnino ex illa causa pendeat, pietatis sermo* * *tradit: verum tertiam usurpare naturam, neque a sacris literis edocti sumus, neque ex supradictis consequenter potest colligi. Nam fortasse. ut Filius ordine quidem est secundus a Patre, quoniam ab eo est; & dignitate, quoniam principium, & causa existendi ipsi Pater est: tum quod per ipsum accessus est, & introductio ad Deum, & Patrem; natura vero non est secundus, quia una est in utroque divinitas: Eodem modo Spiritus Sanctus, etsi posterior Filio est ordine, ac dignitate;* * *Non tamen perinde id, tamquam alienæ naturæ sit, habebit.* De isto *S. Basilii* loco inter Marcum Ephesium, & *Joannem* Doctorem, Theologum, & Provincialem Lombardiæ Ordinis FF. Prædicatorum, qui Latinæ Ecclesiæ quasi ingenium, & os

* *Græci hæc verba suppresserunt.*

* *Græci addidere, Nam fortasse.*

* *Græci addiderunt, ut hoc omnino concedatur a nobis.*

os erat in Synodo Florentina, Sessionibus 20. 21. & 22. ejusdem Synodi acerrime disputatum est. *Marcus Ephesinus* mendosos, ac interpolatos Codices asserebat, ex quibus *Joannes* noster hunc locum depromebat, & ejusmodi quatuor, vel quinque Codices Constantinopoli reperiri, sed alios ibidem exstare sinceros amplius mille, qui illum exhiberent, prout a Græcis legebatur. Respondit *Joannes*, primo Codicem illum, quo usus est, antiquissimum esse, optimæque notæ; ut qui ante sexcentos annos, quam Florentina celebraretur Synodus, scriptus esset, in membranis, non in chartis, & a *Nicolao Cusano* Cardinali Constantinopoli advectus. Secundo hancce clausulam, *Tradit fortasse pietatis sermo*, non esse Basilii, sed particulam *fortasse* in ejus textum esse intrusam demonstrat hac ratione: Semper id, per quod demonstratur aliquid, esse debet notius eo, quod demonstratur. In isto autem cap. *S. Basilius* consequentiam *Eunomii* refellendam sibi sumit hoc pacto: Etsi tertius est dignitate Spiritus Sanctus, ut ex Scripturis Sacris *Eunomius* habebat, non sequitur tamen, ut natura quoque sit tertius. Et toto Capite ex Scripturis colligit, Angelorum quosdam esse primos, alios secundos, alios tertios dignitate, & ordine; sed non sequi natura tertios esse. Si ergo dixisset: *Tradit fortasse pietatis sermo*, *&c.* dubitasset de eo, quod velut fundamentum ponebat ad confutandum *Eunomium*. Præterea de S. Basilio dixit Chalcedonensis Synodus: *Iste doctrinam magis exactam tradidit*. . . At accuratissimam non tradidisset doctrinam, si loquendo de persona Spiritus Sancti, & ejus origine dixisset: *Tradit fortasse pietatis sermo*, *&c.* Tertio, quia *S. Basilius* in Homilia *De Spiritu Sancto*, quam ex venerandæ vetustatis Codice a *Leonardo Aretino* Prolato *Joannes* idem Provincialis FF. Prædicatorum laudavit, hæc habet: *Unum quidem Patrem, unum vero Filium, unum quoque Spiritum Sanctum, juxta divinam traditionem fateri oportet.* Deinde subdit: *Neque duos Patres dicendum, neque duos Filios;*

quan-

*quandoquidem Spiritus nec est, nec nominatur Filius. Neque enim a Spiritu accipimus aliqua, quomodo a Filio Spiritus; sed eo ad nos veniente, & sanctificante, suscipimus divinitatis communionem, & filiationis communicatam possessionem, æternæque hæreditatis arrhabonem, bonorumque primitias æternorum. Hæc sunt, quæ accipimus a Spiritu, & quæ in nobis creata sunt, & causata a Spiritu sancto.* S. Basilius ait, non eo modo Spiritum accipere a Filio, quo nos a Spiritu accipimus. Divinum est igitur, quod Spiritus a Filio accipit. Nam quidquid est, aut divinum, aut creatum est: hoc nos a Spiritu Sancto accipimus: Spiritus vero sanctus non eo modo, neque creata hæc accipit; sequitur ergo, ut accipiat, quod divinum est. Cum itaque tam diserte asserat *S. Basilius* in ista homilia, Spiritum Sanctum accipere a Filio, verisimile non est, quod alibi scripserit hoc ipso de argumento loquens, *Tradit fortasse pietatis sermo*, *&c.* Quarto, secunda, vel tertia persona non dicitur in divinis, nisi ab alia procedat. Igitur *S. Basilius* hoc ipso Spiritum Sanctum a Filio procedere significavit, quo tertium dixit ordine, & dignitate.

Hunc eundem *S. Basilii* locum profert contra Græcos *Manuel Calecas* Ordinis FF. Prædicatorum, & ipse Natione Græcus lib. 1. & de eo subdit. „ Hoc autem si quis non esse Basilii contendat, adjectumque exemplaribus dicat, penitus delirat. Quippe „ in vetustissimis Codicibus ita scriptum invenitur: „ quos quidem Codices pro antiquitate sua, antequam Schisma oriretur, conscriptos esse, nullus „ ambigere omnino possit: quorum obliterati nonnulli cernuntur: quibusdam hoc illius Viri „ dictum, quasi adulteratum suscipere nolentibus, ac „ ferro contra mutos apices impie utentibus.

„ Certe autem, si tertium a Patre esse Spiritum „ Sanctum, atque a Filio secundum, & a Docto-

„ ribus cæteris, & a Magno Basilio accepimus: „ id autem nunquam ita esset, nisi tertius esset ex „ primo per medium, hoc est, ex Patre per Filium „ um procederet; quomodo id, quod præmisimus, „ non omni veritate fulcitur? Videlicet propter „ substantiales processus personarum ad invicem „ apparere ordinem? Quomodo item non idem „ est, & per Filium procedere, quod dicitur, & „ & a Filio esse habere, juxta S. Basilium; quod „ etiam causam esse posuit, ut a Filio secundus „ sit? Quomodo autem & esse, & procedere „ non idem intelligatur, si quidem, quod causam „ esse constat, ut a Filio Spiritus secundus sit, „ quod per Filium scilicet procedit; pro hoc ille „ eum a Filio esse habere, dicere maluit? Quomodo „ item per Filium, & a Filio æquabiliter potens „ non aperte significat, *ex* & *per* tantundem „ in divinis valere? . . . Ex his igitur, quod dicitur „ a Filio esse habere, constat Sancti Viri „ textum esse. Quin immo, & ex his, quæ calumniatores „ improbi in hac clausula contra Magistri „ fidem, & veritatem addunt, manifeste quidem „ *Sancti* sensus elucet; ipsi vero per omnia „ malignitatis arguuntur, ut eorundem sit pro voluntate, „ & delere, & adjicere. Nam præter id, „ quod in vetustissimis exemplaribus inferendam protinus „ malignitatem, & positione, & forma litterarum, „ postmodum adjectam esse, manifeste apparet, „ ait in subsequentibus Sanctus: Ut enim Filius „ ordine quidem secundus a Patre est, quoniam „ ab ipso est: & dignitate, quoniam initium „ illi, & causa ut sit, Pater est, & quia per ipsum „ accessus, & adductio ad Deum, & Patrem nobis „ est, natura vero jam non secundus: Divinitas enim „ in utroque una: ita videlicet, & Spiritus Sanctus, „ etsi Filio concedit ordine, & dignitate, non jam „ tamen quasi alienæ naturæ existens. „ *Ubi ergo ait*: Etsi concedit Filio ordine, & dignitate, *addiderunt:*

*derunt*: Omnino, & concedemus. *Ubi vero ait*: Tradit pietatis ratio: *Ipsi cum hac adjectione legunt, & dicunt*: Tradit fortasse pietatis ratio.

III. *S. Gregorius Nyssenus lib.* 1. *contra Eunomium*, pag. 164. eidem Catholico dogmati suffragatur. *Porro*, inquit, *idem nobis & de Spiritu Sancto dicendum est, cujus in solo ordine differentia constituta est. Nam ut Patri conjunctus est Filius, & cum ex illo esse habeat, non tamen posterius existit: sic etiam Spiritus Sanctus proxime hæret Filio, qui sola cogitatione secundum rationem principii, prius consideratur productione Spiritus. Nam temporum intervalla in illa vita, quæ sæculum omne præcedit, locum non habent: adeo, ut detracta principii ratione, nulla re Sancta Trinitas a se ipsa dissideat.* Docet *S. Gregorius Nyssenus* 1. Spiritum Sanctum ab aliis duabus personis solo ordine differre; at hujusmodi ordo non alius est, quam originis, & processionis. 2. Quemadmodum cum Patre conjunctus est Filius; ita, ut licet esse a Filio habeat, non tamen posterius existat: sic eum unigenito hærere Spiritum Sanctum. 3. Ratione principii priorem considerari Filium, quam Spiritum Sanctum. Quarto, sublata ratione principii, nullam esse in Trinitate differentiam. Quam doctrinam, & in Epistola ad *Ablavium* luculenter confirmat.

IV. *S. Epiphanius*, in *Ancorato*, Num. 8. diserte eandem veritatem docet. *Spiritus Dei*, inquit, *& Spiritus Patris, & Spiritus Filii, non compositione aliqua, quemadmodum in nobis anima, & corpus, sed inter Patrem, Filiumque medius, ex Patre, & Filio appellatione tertius.* Et num. 67. *Jam vero cum Christus ex Patre credatur Deus ex Deo, & Spiritus ex Christo, sive ab ambobus; ut Christus his verbis asserit*: Qui a Patre procedit: *Et*, Hic de meo accipiet. Et Num. 71. *Tu, quis es, qui contradicas Deo? Nam, si Filium vocat eum, qui ab ipso, Spiritum vero San-*

 ctum,

*ctum, qui ab ambobus &c.* Et num. 72. *Igitur, si a Patre procedit, & de meo, ut ait Dominus, accipiet, quemadmodum nemo novit Patrem, nisi Filius, neque Filium, nisi Pater; ita dicere audeo: neque Spiritum nisi Pater, & Filius a quo procedit, & a quo accipit: & neque Filium, ac Patrem, nisi Spiritus Sanctus: qui vere glorificat, qui docet omnia, qui testatur de Filio, qui a Patre, & ex Filio.* Et Hæresi 62. quæ est Sabellianorum: *Non alienus est a Patre, & Filio; sed ex eadem substantia, ex eadem divinitate, ex Patre & Filio, cum Patre & Filio subsistens semper Spiritus Sanctus.*

V. *Dydimus* lib. 2. *De Spiritu Sancto*, exponens illa verba Christi. Non enim loquetur a semetipso, *ita scribit*: Hoc est, non sine me, & Patris arbitrio, „ quia inseparabilis a mea, & Patris est voluntate: „ Quia non ex se, sed ex Patre, & me est. Hoc „ enim ipsum, quod subsistit, a Patre, & me, illi „ est . . . Spiritus quoque Sanctus, qui est Spiritus veritatis, Spiritusque Sapientiæ, non potest „ Filio loquente audire quæ nescit; cum hoc ipsum „ sit, quod profertur a Filio, id est, procedens a „ veritate, consolator manans de consolatore, Deus „ de Deo, Spiritus veritatis procedens: *Et infra, ubi protulit Christi verba ex Joan.* 16. Ille me „ clarificabit, quia de meo accipiet: *Subdit*: Rursum „ hic accipere, ut divinæ naturæ conveniat, intelligendum. Quomodo ergo Filius dans non privatur his, quæ tribuit, neque cum damno suo „ impertit a iis: sic & Spiritus non accipit, quod „ ante non habuit. Si enim, quod prius non habebat, accepit, translato in alium munere, vacuus largitor effectus est, cessans habere, quod „ tribuit. Quomodo igitur supra de naturis incorporalibus disputantes intelleximus, sicut & nunc „ Spiritum Sanctum a Filio accipere id, quod suæ „ naturæ fuerat, cognoscendum est; & non dantem, „ & accipientem, sed unam significare substantiam. „ Siquidem & Filius eadem a Patre accipere di-

„ citur, quibus ipse subsistit. Neque enim quid „ aliud est Filius, exceptis his, quæ ei dantur a „ Patre: neque alia substantia est Spiritus Sancti, „ præter id, quod datur ei a Filio.

VI. *S. Cyrillus Alexandrinus* passim idem dogma confirmat. In lib. *De recta fide* ad Reginas: *Vivificatio*, inquit, *attribuenda est, & jure quidem meritissimo, non ipsi utique naturæ corporis; &, si id proprium Verbi fuerit, quod ex Deo natum est: sed supremæ potius virtuti, ac creatas res omnes superanti, tanquam ex persona Dei, ac Patris, ex quo prodiit Filius, æqualis, & similis ipsi per omnia. Procedit autem per ambos & vivificans Spiritus.* Spiritum Sanctum a Filio procedere pariter asserit, ac Filium a Patre; non igitur temporaria duntaxat missione, & ratione donorum, quæ cum hominibus communicat, sed æterna, & substantiali. Et certe, si Patrum testimonia Spiritum a Filio procedere asserentia, ad temporariam profusionem, & missionem Spiritus sancti detorquere liceat; eodem jure loca omnia, quæ a Patre procedere eundem Spiritum docent, de donorum illius largitione, non substantiali processione, intelligere licebit. Inane est ergo illud Græculorum Schismaticorum effugium.

Idem *S. Cyrillus* in Responsione ad Orientalium objectiones ad Anathematismum 9. æque expressis verbis Spiritum Sanctum a Filio procedere affirmat. *Omnia*, inquit, *existens quæcunque est Pater, excepto eo solo, quod Pater est: & proprium habens, qui ex ipso est, & substantialiter inest ei, Spiritum Sanctum, divina miracula faciebat.*

Et lib. XXXIV. *Thesauri*, in Cap. cujus ea inscriptio est: *Ex substantia Patris, & Filii esse Spiritum Sanctum*, hæc habet: *Cum ergo Spiritus Sanctus in nobis existens conformes nos efficiat Deo, procedat au-*

*tem ex Patre, & Filio; perspicuum est divinæ ipsum esse substantiæ; substantialiter in ipsa, & ex ipsa procedentem: quemadmodum utique flatus ille, qui ex ore hominis excurrit.* **Ibidem**: *Cum igitur legem fert Christus, Spiritus ipse, utpote, qui in ipso, & ex ipso naturaliter existit, legem fert.* **Ibidem**: *Necesse est fateri Spiritum e substantia esse Filii. Nam, ut ex ipso naturaliter existens, & in creaturam ab ipso missus, renovationem efficit: complementum nempe Sanctissimæ Trinitatis. Quod, si ita est, Deus ergo & ex Deo est Spiritus, & non creatura.*

**Et in Epistola ad Nestorium.** *Quamvis enim Spiritus in substantia propria sit, quatenus Spiritus est, & non Filius, est tamen ab ipso non alienus. Profunditur autem ab ipso, non minus profecto, quam ex Deo, & Patre.*

**Et lib. 10. Commentarii in Joannem.** *Cum,* inquit, *venturum ad eos Paracletum antea dixisset, Spiritum veritatis eum nominavit, id est, suum: Ipse enim est veritas. Nam, ut scirent Discipuli non alienæ, ac peregrinæ virtutis illapsum, sed semetipsum tradendum polliceri, Spiritum veritatis, id est, suum, Paracletum appellat. Spiritus enim sanctus nullo modo ab Unigeniti substantia alienus intelligitur, sed ex ea naturaliter procedit, identitate naturæ aliud nihil ab ipso existens, licet in propria persona subsistere intelligatur. . . Cum ergo venerit,* inquit, *Paraclitus, nihil a semetipso loquetur. . . . Nihil enim loquetur prorsus, quod mihi non placeat, sed nec peregrinam vobis doctrinam tradet. Nec enim suas vobis leges inferet, sed cum Spiritus, & mens quodammodo mea sit, omnino quæ in me sunt, loquetur.*

**In eodem libro**: *Ut enim Christus in nobis, ita & Spiritus ejus. Idcirco ait: Ipse vos docebit omnia, quia ego dixi vobis. Nam, cum sit Christi Spiritus, & mens*

*ejus,*

*ejus, non aliud quiddam existens ab ipso naturalis identitatis ratione licet in propria hypostasi intelligatur, ac sit, omnia novit, quæ in eo sunt. . . Quocirca, ut qui novit omnia, quæ sunt in voluntate Unigeniti, omnia nobis annuntiat, non disciplina comparatam scientiam habens, ne Ministri vicem implere videatur, & alterius sermones deferre, ut Spiritus ejus, &, qui circa Doctoris operam novit omnia, quæ sunt ejus, ex quo, & in quo est, divina Sanctis revelat mysteria. Sicuti nimirum & mens humana omnia, quæ in se sunt agnoscens, enuntiativo verbo, ut foras emittat voluntates animæ ministrat, cujus est etiam mens; aliud quidem ab ipso nomine, & conceptu, sed alia secundum naturam non existens, sed, quæ velut pars completiva totius, in ea existit, & ex ea prodire creditur.*

Et lib. II. *Clarificat itaque Filium Paracletus, id est proprius ejus Spiritus, qui omnia potest, & omnia novit. Quomodo vero clarificat? Nam, quæ novit, ac potest Spiritus ejus, quomodo ipse non noverit, aut quomodo non possit? Quodsi, ut ipse ait, de suo Spiritus accipit, quamvis omnia possit, & faciat; quomodo ipse omnium rerum potestatem non habebit? . . . Quoniam consubstantialis est Filio, & modo Deo congruenti per ipsum procedit, omnem ejus perfectissimam in omnibus operandi vim, atque efficacitatem habens, idcirco dicit:* Quia de meo accipiet. *Ipsum enim subsistere per se Spiritum credimus, & esse revera id, quod est, ac dicitur: inexistere tamen in substantia Dei, & ex ea procedere, omnia, quæ ejus sunt, in se habentem naturaliter. Nec enim per participationem, neque per modum habitudinis, neque tanquam aliud quiddam sit ab ea, quia proprius est ejus. Quemadmodum enim, qui ex odoriferis floribus existit odor, naturalem suam efficacitatem, seu odoriferam qualitatem extrinsecus edit, corporis partibus odorandi vi præditis illabendo: & quoad ex sensu colligi potest, videtur quid distinctum, atque aliud esse a natura rei, a qua emittitur: si vero*

in

*in seipso consideretur, nihil aliud a rebus, ex quibus, & in quibus existit, habet, ita de Deo, & Spiritu sancto intelliges, si tamen sublimius exempli vim acceperis. Citra reprehensionem igitur omnem dici potest, ab Unigenito quiddam accipere Spiritum ejus. Nam cum per ipsum procedat naturaliter, utpote cum sit ejus proprius, una cum omnibus, quæ perfecte habet, accipere dicitur, quæ ejus sunt.*

In eodem libro: *At proprius quoque Unigeniti est hic Spiritus, consubstantialis enim est Patri. Quia ergo proprium esse videtur Deo, ac Patri, in suo Spiritu dignis revelari, & per ipsum quæcunque libuerit, operari, mihique illud naturaliter inest, eam ob causam dixi. Eum de meo accipere, & annuntiaturum vobis. Nemo vero turbetur, cum hic audit accipiendi vocabulum: sed illud potius in animum inducat, nostro more enuntiari quidem res divinas, non sic tamen intelligi, sed modo nostrum captum excedente: atque ita nos dicere Spiritum accipere a Patre, & Filio, quæ eorum sunt, non quod cognitionem, & virtutem, quæ in eis est, aliquando non haberet, ac vix tum habeat, cum habere censetur. Sapiens enim semper est, ac potens Spiritus: immo vero ipsissima Sapientia, ac Virtus, non ex participatione, sed natura sua: Quemadmodum aromatum fragrantiam nostris naribus affusam, diversam quodammodo ab iis, sed conceptu, & cogitatione tantum, non aliter tamen prodire putaveris, quam ab iis, ex quibus est, accepta virtute, qua se exerat, cum alia non sit, propterea, quod ex iis, & in iis existat. Tale quid, immo vero supra id de Deo, & sancto Spiritu cogitabis: est enim odor veluti quidam substantiæ ejus, vivens, & efficax, qui, quæ a Deo sunt, creaturæ transmittit, & supremæ omnium substantiæ per se ipsum participationem inserit. Nam, si aromatum fragrantia vim suam vestibus imprimit, & in se ipsam quodammodo transformat ea, in quibus fuerit, qui non poterit sanctus Spiritus, siquidem naturaliter est ex Deo, divinæ consor-*

*sortes naturæ per se ipsum eos reddere, in quibus sit? Fructus igitur, & character substantiæ Genitoris, cum sit Filius, omnia, quæ ejus sunt secundum naturam sibi vendicat. Idcirco ait:* Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt: Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis, *Spiritus nimirum, qui per ipsum, & in ipso est: per quem Sanctis, ut ipse, inhabitat. Nec enim diversus est ab eo Spiritus ejus, licet in propria persona subsistere intelligatur.*

VII. Non est audiendus hac in controversia *Theodoretus*, qui nimio contentionis æstu in *S. Cyrillum* abreptus, errorem de Processione Spiritus Sancti a solo Patre primus omnium effudit in Confutatione 12. ipsius Capitulorum. Cum enim *S. Cyrillus* in Capitulo 9. dixisset, *Spiritum sanctum Filii esse proprium*, Theodoretus sic illum reprehendit: *Quod autem Spiritum Filii esse proprium disserit, siquidem, ut ejusdem cum eo naturæ, & ex Patre procedentem dixit, assentiemur, & eam vocem tanquam piam admittemus. Sin hoc asserit, tanquam ex Filio, & per Filium existentiam habeat, velut blasphemum hoc; impiumque rejiciemus. Fidem enim adhibemus dicenti Domino: Spiritus, qui ex Patre procedit: nec non divinissimo Paulo similiter loquenti: Nos autem non Spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo Patre est.*

VIII. *S. Maximus* Martyr in Tractatu *De Candelabro Zachariæ Prophetæ*, quem contra suos Græcos *Joannes Beccus* adducit, eorum errorem evertit his verbis: *Nam Spiritus sanctus, quemadmodum natura Dei est, ac Patris secundum substantiam: sic est Filii secundum substantiam: tanquam, qui ex Patre substantialiter per filium genitum inexplicabili modo procedat.* Porro Spiritus sanctus non potest dici Filii, nisi tanquam Principii. Hæc enim loquendi ratio relationem significat; relatio autem nulla est in divinis, nisi ex origine petita. Deinde cum unum alterius dici, vel hoc

hujus

hujus proprium in divinis, rejecta materia, & iis, quæ materiam consequuntur, neque tanquam membrum, neque, ut possessio, neque ratione alicujus excellentiæ, vel alterius cujuspiam affinitatis queat: sed ratione sola principii, & ejus, quod est a principio; in quo uno alterum ab altero discerni comprehendimus: perspicuum est, cum dicimus, Spiritum sanctum proprium esse Filii, id sola illa principii ratione dictum intelligi posse. Non enim ideo ita loquimur, quod sint ejusdem substantiæ: quia, si vera esset hæc ratio, non minus Filius dici posset esse Spiritus sancti, quam Spiritus Filii. Quod cum inauditum sit, consequens est, ideo Spiritum Filii dici, quod a Filio procedat. Sed neque ob id proprius Filii dicitur Spiritus sanctus, quod ab illo donetur, ac mittatur. Nam, præterquam quod missio divinæ personæ indicium st originis ejus, quæ mittitur a mittente, donatio Spiritus sancti fit in tempore: At proprium esse Filii Spiritum sanctum, sempiternum quidpiam est. Non potest autem, quod in tempore fit, causa illius esse, quod est æternum. Nam si homini, quod ei proprium est, inest semper quamdiu vivit: multo magis, quod Filii Dei proprium est, semper ipsi inest. Ita ratiocinantur *Demetrius Cydonius* in lib. *De Processione Spiritus sancti.* cap. 10. & *Manuel Calecas* noster *lib.* 2. *contra Græcos.*

IX. Non repugnat huic doctrinæ S. *Maximus* in Epistola ad *Marinum*, in qua de Synodicis Romani Pontificis agens, in quibus scriptum erat, *Spiritum sanctum* etiam a *Filio procedere*, sic illud a Romanis intelligi, ait, *Non ut causam Spiritus sancti Filium faciant; Unam enim noverunt Filii, & Spiritus esse causam: alterius quidem secundum nativitatem, alterius vero secundum processionem: sed ut per ipsum procedere insinuarent; sicque conjunctionem essentiæ, & incommutabilitatem commendarent.* Vult tantum S. *Maximus*, quod etiam a Romanis intelligi, & prædicari observat,

vat, Spiritum sanctum ex Patre, & Filio, ceu ex uno principio procedere. *Ob id tamen, quod Filius sit ex Patre, sine medio, Spiritus autem per Filium procedat, ac per ipsum Patri conjungatur, quodque Filii omnia ad Patrem referantur, Pater unum Spiritus sancti principium dicetur: quocirca solus quoque fons deitatis dictus est: fonsque, & radix Filii, & Spiritus, & solus causa dici potest, quod nihil ante se cogitatum habeat, atque ad ipsum referantur omnia.* Consonant sequentia S. *Maximi* verba. Nam dicere: *Propterea ex Filio procedere dixerunt, ut per ipsum illum procedere significarent*, nihil est aliud, quam dicere: *Idcirco ex Filio procedit, quia procedit per Filium, quia enim per Filium procedit, naturaliter scilicet, atque essentialiter procedit. Ita quippe & essentiae conjunctio, & incommutabilitas declarabitur. Quod autem per aliquod naturaliter, atque essentialiter prodit, ex ipso etiam substantiam habet . . . Sic itaque, & quae in praedicta Epistola posita sunt, veritati, & sibi ipsis concinunt; & quae a* S. *Cyrillo Latinisque Doctoribus de Spiritu sancto dicta sunt, interroganti* S. *Maximo Romani allegaverunt. Impossibile namque est, Magistros Ecclesiae, ex Filio esse, atque procedere Spiritum dicere, & rursus per Filium esse, atque procedere: deinde causam a Filio auferre. Hoc enim est aperta contradictio.* Ex *enim praepositio, & maxime in divinis personis processum, cum causa commendat:* & per *tantundem valet.* Ita de hoc S. *Maximi* loco differit *Manuel Calecas, lib. 3. contra Graecos.*

X. S. *Joannes Damascenus* lib. 1. de Fide Orthodoxa, cap. 18. eidem dogmati suffragatur. *Imago*, inquit, *Patris est Filius, & Filii Spiritus, per quem Christus habitans in homine, dat ipsi, ut ad imaginem sit.* Porro ex eo, quod Spiritus sanctus Imago Filii nominatur, recte colligit *Hugo Ætherianus* lib. 2. cap. 7. ipsum a Filio procedere: quemadmodum Filium a Patre procedere demonstramus inde, quod illius imago dicatur. *Imago enim dicitur Filii Pater* ( inquit S.

Gre-

Gregorius Nazianzenus Oratione 26.) *tanquam consubstantialis Patri, & quia ex illo est, non autem ex hoc Pater.* Secundo, ad imaginis rationem necesse est, ut originem habeat a prototypo. Alioqui non magis unum erit Imago alterius, quam hoc illius. *Omnis imago* (inquit S. Augustinus in lib. Imperfecto de Genesi ad litteram) *similis est ei, cujus imago est. Nec tamen omne, quod est simile alicui, etiam Imago est ejus . . . . imago enim tunc est, cum de aliquo exprimitur.*

*S. Joan. Damascenus Græcorum Schismati non favet.*

*S. Joan. Damascenum eodem modo exponunt Nicephorus Blemmida, oratione ad Jacobum Bulgariæ Archiep. de Processione Spiritus sancti, Bessario Epist. ad Alexium Lascarim, Demetrius Cydonius opusc. de Processione Spiritus sancti, Josephus Metonensis, & Gregorius*

XI. Objiciunt nihilominus Græci Schismatici testimonium *S. Joannis Damasceni* velut eorum errori patrocinantis lib. I. *De Fide Orthodoxa*, cap. II. *Scire*, inquit, *opportet, nos non dicere Patrem esse ex aliquo; sed ipsum dicimus patrem esse Filii. Filium vero non dicimus principium, neque Patrem: sed eum dicimus ex Patre esse, & Filium Patris. Porro Spiritum sanctum tam ex Patre esse profitemur, quam Patris appellamus Spiritum. Ex Filio autem Spiritum non dicimus, sed eum Filii Spiritum nominamus.* Et cap. 13. *Sed & Filii Spiritus est, non tanquam ex ipso: sed quod per ipsum ex patre procedat. Solus enim Pater principium est.*

Sed optime respondet *Manuel Calecas*, lib. 3. contra Græcos, *S. Joannem Damascenum* ideo negare, Spiritum sanctum ex Filio procedere, quia particula, ex, principalem causam significat: hoc est, eam, quæ ab altera producendi vim non accipit, sed habet a seipsa. Ejusmodi autem non est Filius, qui, quæ habet, a Patre accepit omnia: & unum est, atque idem cum Patre principium Spiritus sancti. At Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere docet S. *Joannes Damascenus*. Idem autem significant hæ præpositiones, *ex* & *per*, in Patre & Filio; personas duntaxat discernunt. Ait enim Magnus *Basilius* ad Amphilochium scribens, 5. cap. *Unus Deus, & Pater, ex*

quo

*quo omnia, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia. Istæ non sunt legem ponentis voces, sed distinguentis potius substantias. Non enim, ut alienum naturæ introducat, sed ut inconfusam Patris, & Filii intelligentiam commendet, ita pronuntiavit Apostolus.* Et Gregorius Theologus ait: *Ex quo, & per quem, quod dicitur, non naturas scindentium est, sed unius, inconfusæque naturæ proprietates exprimentium. Idcirco itaque* S. Joannes Damascenus *particulam* per, *usurpavit (inquit Calecas) ut consubstantialitatem, simul & Personarum ordinem, ac discretionem significet ex ipsis Processionibus apparentem. In quo sane ordine, ac discretione Filii persona medium obtinet locum: & ne vel una persona Pater, & Filius existimetur propter præpositionum similitudinem: vel duo, & contra se divisa ambo Spiritus principia videantur, talisve esse Filii persona, qualis & Patris est, nihil ante se cogitatum habens, quemadmodum & Pater.* Ex, *enim sistit mentem, & ulterius ire non cogit, principalemque causam quærere, cui præpositio* ex, *principaliter attributa est. At præpositio,* per, *ad alteram personam, præter illam, ex qua immediate alia oritur, provehit mentem, principalemque illam designat causam, in qua hæc ponitur medium & primi, & ejus, ad quem processus, sive operatio. Atque ita Trinitatem integre nobis commendat præpositio* per, *simulque processionum ordinem ad invicem indicat.*

*Protosyncellus, Apologia contra Epist. Marci Ephesii, Gennadius Patriarcha pro Concil. Florent.*

*Addit* Manuel Calecas, *Aliud esse, quod aliquid non dicatur, & quod revera non sit. Esse enim Filium Patri consubstantialem, Deique Genitricem semper Virginem prædicari in Ecclesia: atque humanæ naturæ Filium Dei secundum substantiam unitum esse, vera quidem sunt: fuit tamen quando non dicebantur. Non tamen ideo falsa fuerunt. Nam postea, necessitate urgente, propter contraria dicentes etiam, ut in Ecclesia publice dicerentur, institutum, & firmatum est. Quid ergo mirum, si* S. Joannes Damascenus, *quod non pro-*



nun-

*nuntiabatur, ut multa alia, & tunc, & prius, non dici ait? non enim per hoc ostendit, quia non est; sed hoc solum, quia in consuetudine dicto non proferetur.*

*Addit rursus Vir doctissimus, plurimos SS. Patrum easdem dictiones in Theologia, secundum differentes intelligentias & suscipere, & non suscipere, & aliquando sic, aliquando aliter: ut Magnus* Basilius *in Quaestionibus ad Eunomium*, germen *Filium dicentem non suscipit: dictionem hanc imperfectioribus congruere existimans, quocirca eam maxime ponebat* Eunomius. *Verum* Gregorius Theologus, *in primo libro de Filio, de eo, & Spiritu sancto loquens, ait.* Horum autem alterum quidem germen, alterum vero productum est. *Et causam quidem, & causale in divinis personis dici vetat* B. Cyrillus *dicens:* Causam vero, & causale ne nominare quidem fas est: *Si quis illud scilicet juxta creaturarum morem accipiat. Communis autem fides, omnesque Theologi* (Graeci) *in sola causa, & causali (quibus nominibus intelligunt Principium, & id, quod est ex principio) divinas personas distingui dicunt: majusque, quod dicitur Patri, causae ratione plurimi Doctorum assignarunt: Juxta opinionem autem Arianorum ab Ecclesiae ambitu repellitur. Nihil ergo mirum, si etiam SS. Doctorum alii quidem,* Ex, *principali causae, & ante, quam nihil cogitatur, huic soli eam congruere arbitrati, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, productoremque Patrem per Verbum asseverant, quia Filii omnia ad Patrem referuntur, non tamen,* ex Filio, *dicunt. Alii vero & ei, qui ex causa est, ut Filio, congruere ponentes, cujus Pater principalis praecogitatur causa: eo quod unum principium, & una causa sit Pater, & Filius, sicut & una essentia nunc quidem* per Filium *esse, ac procedere dicunt, nunc autem* ex Filio *esse, ac procedere: per utraque idem volentes, etsi syllabis differant. Haec* Manuel Calecas. *Sed quid prolixiori expositione opus est,*

*cum*

*cum S. Joannes Damascenus*, cap. XV. ejusdem libri, de Patre sermonem habens, subinferat: *Et productor per Verbum explanantis Spiritus.* Et his verbis S. *Joannem Damascenum* Processionem ab utroque cognovisse celeberrima Græcorum Synodus sub *Andronico* Imperatore celebrata Constantinopoli declaravit, de qua *Pachimeres*, lib. VII.

*Latinorum Patrum testimonia de Spiritus sancti Processione a Patre & Filio.*

XII. In asserenda Processione Spiritus sancti a Filio Latini Patres cum Græcis conspirant. Quos inter S. *Hilarius* lib. 2. de Trinitate ait: *Loqui de eo* (scilicet Spiritu sancto) *non necesse est, quia de Patre, & Filio auctoribus confitendus est.* Et lib. 8. *A Filio igitur accipit, qui & ab eo mittitur, & a Patre procedit: & interrogo, utrum idipsum sit a Filio accipere, quod a Patre procedere. Quod si nihil differre credetur inter accipere a Filio, & a Patre procedere: certe idipsum atque unum esse existimabitur a Filio accipere, quod sit accipere, a Patre. Ipse enim Dominus ait:* „ Quoniam de meo accipiet, & annuntiabit vo- „ bis. *Hoc, quod accipiet, sive potestas est, sive virtus, sive doctrina est, Filius a se accipiendum dixit* . . Ac mox: *Omnia, quæ Patris sunt, Filii sunt: & idcirco quidquid accipiet, a Filio accipiet ille mittendus, quia Filii sunt universa, quæ Patris sunt.*

XIII. *Marinus Victorinus* lib. I. contra *Arium* idem asserit. *Duo ergo & isti*, inquit, *alius ex alio; ex Filio Spiritus sanctus, sicut ex Deo Filius, conrationaliter, & Spiritus sanctus ex Patre.*

XIV. *S. Ambrosius* idem plane docet lib. De *Spiritu sancto*, cap. X. *Spiritus quoque sanctus*, inquit, *cum procedit a Patre, non separatur a Filio.* Et lib. De Symbolo, *cap. 3. Spiritus autem sanctus vere Spiritus est, procedens quidem a Patre, & Filio; sed non est ipse Filius, quia non generatur: neque Pater, quia*

*procedit ab utroque, non genitus, non ingenitus, non factus.* Legatur & lib. VIII. in Lucam, Capitulo XXVIII.

XV. *S. Augustinus* idem prædicat variis in locis, sed maxime lib. XV. *De Trinitate*, cap. XVII. ubi explicans, quod præmiserat, Spiritum sanctum principaliter a Patre procedere, ait; ,, Ideo autem addidi ,, principaliter, quia & de Filio Spiritus sanctus pro- ,, cedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, ,, non jam existenti, & nondum habenti : Sed quid- ,, quid Unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ,, ergo eum genuit, ut etiam de illo Donum com- ,, mune procederet, & Spiritus sanctus esset amborum. ,, *Idem confirmat cap. XXVI. Et Tractatu XCIX. in* ,, *Joannem:* Cur ergo, *inquit*, non credamus, quod ,, etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii ,, quoque ipse sit Spiritus? Si enim ab eo non proce- ,, deret non post Resurrectionem se repræsentans Di- ,, scipulis suis, insuflans diceret: Accipite Spiritum ,, sanctum. Quid enim aliud significavit illa insuffla- ,, tio, nisi quod procedat Spiritus sanctus, & de ,, ipso?

XVI. *S. Leo Magnus* idem tradit *Sermone II. de Pentecoste;* verba illa Christi apud S. Joannem exponens; *Adbuc multa babeo vobis dicere, &c. Nunquid sese Dominus inferioris scientiæ volebat intelligi, aut minus aliquid, quam Spiritum sanctum a Patre didicisse, cum ipse sit veritas, & nibil Pater dicere, nibil docere possit sine Verbo, ideoque dictum sit; De meo accipiet; quoniam, quod accipit Spiritus, Patre dante, dat Filius.*

XVII. *Genadius* Massiliensis lib. *de Ecclesiasticis Dogmatibus*, cap. I. idem profitetur fidei dogma. *Spiritus Sanctus*, inquit, *ex Deo Patre, & Deo Filio Deus procedens.*

Sic

Sic & S. *Fulgentius* in lib. *De Fide ad Petrum*, cap. II. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, eundem Spiritum sanctum, qui Patris, & Filii unus est Spiritus, de Patre & Filio procedere.*

XVIII. Toletana Concilia, Primum, Tertium, Quartum, Octavum, Undecimum, Duodecimum, & Decimum tertium, *Spiritum sanctum a Patre, Filioque procedere* asserunt. *S. Gregorius Turonensis* idem prædicat in Professione Fidei, quæ extat initio lib. I. Historiæ Francorum.

XIX. Sic Auctor Symboli, quod Athanasianum vulgo inscribitur: *Spiritus sanctus a Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Synodus Forojuliensis sub *Paulino* Patriarcha idem tradit in Symbolo Fidei.

XX. Ita ante Paulinum *S. Gregorius Magnus* Homilia XXVI. in Evangelia: *Spiritus sancti missio, ipsa processio est, qua de Patre procedit & Filio.*

Quæstio de Processione Spiritus sancti agitata est in Concilio Aquisgranensi sub *Carolo Magno* anno DCCCIX. teste *Adone.* Romam directi *Bernharius* Wormatiensis Episcopus, & *Adalardus* Corbejensis Abbas: anno sequenti ab iis habita cum *Leone* Pontifice Maximo collatio. *Lectis per ordinem testimoniis* de Processione Spiritus sancti, *atque a Domino Apostolico diligentissime auditis, ait: Ita sentio, ita teneo cum his Auctoribus, & sacræ Scripturæ auctoritatibus. Si quis aliter de hac re sentire, vel docere voluerit, defendo: & nisi conversus fuerit, & secundum hunc sensum tenere voluerit, contraria sentientem funditus abjicio. Ita referunt Acta Collationis a* Smaragdo *Abbate conscripta.*

*Theodulfus* Aurelianensis Episcopus hisce temporibus Libellum *De Processione Spiritus sancti* jussu *Caroli Magni* conscripsit, in quo antiquorum Patrum collegit sententias, qui Spiritum sanctum a Patre, Filioque procedere scripserunt. Horum Indiculus ita texitur: Athanasius, Cyrillus, Hilarius, Ambrosius, Didymus, Augustinus, Fulgentius, Hormisdas, Leo, Gregorius, Isidorus, Prosper, Vigilius, Afer, Prolus, Agnellus, Cassiodorus, Prudentius. Quid intendat *Theodulfus* in Metrica Operis ad *Carolum Magnum* præfatione sic exponit.

*Imperii vestri, Rex Inclyte, jussa secutus,*
*Defero Theodulfus hæc documenta libens.*
*Queis Patre, seu Nato procedere Spiritus almus*
*Adstruitur, Legis hoc resonante tuba.*
*Hoc Evangelium, hoc promit Apostolus Auctor,*
*Hoc canit unanimis vox pia sacra Patrum.*

Lege de eodem dogmate *Ratramnum* Corbejensem Monachum, & *Æneam* Parisiensem Episcopum, illum in Responsione ad Græcorum Opposita, istum in libro contra Græcos.

XXI. S. *Anselmus* lib. *De Processione Spiritus sancti contra Græcos*, cap. 2. statuit illud Principium, quo in hac dirimenda controversia post Angelicum Doctorem plurimum utuntur Theologi: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Sic autem habet: *Sequitur, secundum unitatis Dei, quæ nullas habet partes, proprietatem, ut quidquid de uno Deo, qui totus est; quidquid est, dicitur de toto Deo Patre, dicatur & de Filio, & Spiritu sancto: quia unusquisque solus, & totus, & perfectus Deus est. Supradicta vero relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, probibet Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum de invicem dici: & propria singulorum aliis attribui.* Sic ergo hu-

jus

*jus unitatis, & bujus relationis consequentiæ se contemperant, ut nec pluralitas, quæ sequitur relationem, transeat ad ea, in quibus prædicta simplicitas sonat unitatis: nec unitas cohibeat pluralitatem, ubi eadem relatio significatur: quatenus nec unitas amittat aliquando suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio; nec relatio perdat, quod suum est, nisi ubi obsistit unitas inseparabilis.* Hoc posito principio, S. *Anselmus* colligit, necesse esse, ut aut Filius sit de Spiritu Sancto; aut Spiritus sanctus de Filio, siquidem relationis oppositio oritur ex eo, quod Deus sit de Deo. At Filius non procedit a Spiritu sancto; consequens ergo est, Spiritum sanctum procedere a Filio simul, & Patre, siquidem nulla id relatio originis impedit. Præterea, cum dicitur Deus de Deo, aut significatur totum esse de toto, aut partem de parte, aut partem de toto. Sed Deus nullam habet partem: impossibile igitur est, ut, si Deus est de Deo, totus sit de parte, aut pars de toto, aut pars de parte. Necesse est igitur, ut si est Deus de Deo, totus sit de toto. Cum ergo Filius dicitur esse de Deo, qui est Pater, & Spiritus sanctus, aut alius totus erit Pater, alius totus Spiritus sanctus, ut de toto Patre sit, & non de toto Spiritu sancto: aut si idem totus Deus est Pater, & Spiritus sanctus; ex necessitate cum est de Deo toto, est pariter de Patre, & de Spiritu sancto, si non repugnet aliud. Eodem modo cum dicitur Spiritus sanctus esse de toto Deo, qui est Pater, & Filius: aut alius totus erit Pater, alius totus Filius, ut sit de toto Patre, & non de toto Filio Spiritus sanctus: aut cum est de Patre Spiritus sanctus, non potest non esse de Filio, si non est Filius de Spiritu sancto. Nulla enim alia ratione potest negari Spiritus sanctus esse de Filio.

Contra hoc ratiocinium objici posse ait S. *Anselmus*, Non esse consequens, ex eo, quod Pater unus est totus cum Filio, & a Patre oritur Spiritus sanctus, etiam

tiam a Filio hunc oriri: neque unitatem Deitatis in Patre, & Filio hanc habere vim consequentiæ. Sicut ex eo, quod unus Deus est Filius, & Spiritus sanctus, non sequitur genitum esse de Patre Spiritum sanctum, sicut Filius gignitur.

Cui objectioni sic respondet: *Habent utique a Patre esse Filius, & Spiritus sanctus, sed diverso modo: quia alter nascendo, alter procedendo. Et ideo, cum nascitur unus, non potest cum eo nasci ille, qui per hoc alius est ab eo, quia non similiter nascitur, sed procedit. Et cum unus procedit, nequit ille simul procedere, qui per hoc est alius ab illo, quia non similiter procedit, sed nascitur. Et ideo non habet hic unitas illa vim consequentiæ: quia pluralitas obviat, quæ ex nativitate nascitur, & processione. Nam etsi per aliud non essent plures Filius, & Spiritus sanctus, per hoc solum essent diversi.* Id sensu causali intelligendum, non formali, ut Theologi de Schola loquuntur: ex diversa enim Processione diversæ Relationes existunt, & Personæ distinctæ. Quæ Theologorum distinctio ex ipsomet S. Anselmo accepta est, dicente: *Supradicta vero relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, &*.

Et Cap. V. probat Filium docuisse, Spiritum sanctum a se procedere, cum docuit ipsum procedere a Patre, his Domini verbis: *Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*; Et: *Cum autem venerit ille Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre.* Quid porro est, *Mittet Pater in nomine Filii, nisi mittet Pater, tanquam si mittat Filius: ut in missione Patris, missio intelligatur Filii?* Quid vero est: *Ego mittam a Patre; nisi, Ego mittam, tanquam si Pater mittat, ut una, & eadem sit missio mea, & Patris . . . Unde enim Filio cum Patre dare simul, vel mittere Spiritum sanctum, & hunc esse utriusque, si simul non est*

de

*de utroque? Cur enim magis dat Filius Spiritum sanctum, quam Spiritus sanctus Filium? Aut cur magis Spiritus sanctus est Filii, quam Filius Spiritus sancti? nisi quia Filius non est ita de Patre, si simul & Spiritu sancto, sicut Spiritus sanctus est de Patre simul, & Filio? si ergo Spiritus sanctus non de Filio, non datur a Filio, nec dicitur esse Filii: sicut Filius non datur a Spiritu sancto, nec dicitur esse Spiritus sancti, quoniam non est de Spiritu sancto. Si autem dicunt, quia Spiritus sanctus mittit etiam Filium, sicut idem ipse dicit per Prophetam:* Et nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus: *hoc secundum hominem, quem gerebat, intelligendum est, qui Patris, & Spiritus sancti una voluntate, & dispositione mundum redempturus in mundo apparuit.*

Idem confirmat cap. 6. ex illis Domini verbis de Spiritu sancto: *Non enim loquetur a semetipso; sed quæcunque audiet, loquetur.* Quid est, *Non loquetur a semetipso*, inquit S. Anselmus, *nisi ab alio habet, quod loquetur?* Unde addidit: *Sed quæcunque audiet, loquetur. Quid est, Audire Spiritum sanctum, nisi quasi discere? Et quid est discere, nisi scientiam accipere? Si ergo scientia ejus non est aliud, nisi essentia ejus, ab illo habet essentiam, a quo audit ea, quæ loquitur, & quæ docet: Quoniam idem est illi loqui, quod docere. Non audit autem, neque habet essentiam ab alio, nisi a Patre, & Filio, Verum si habet esse a Patre secundum supradictam rationem, habet & a Filio. Unde & idem Filius dicit:* Ille de meo accipiet, & annuntiabit vobis. „ Quippe quid est aliud hoc dicere, quam me „ audiet? hoc est, a me scit, quod annuntiabit vo- „ bis? Cum dixit: „ Quæcunque audiet, loquetur: „ non determinavit a quo audiet. Cum vero ait, *De* „ *meo accipiet*; ne quis soli Patri attribuat, quod ab „ alio audit, aperte se esse a quo, sicut a Patre sci- „ entiam, sive essentiam accipiat, demonstrat. Sicut „ enim cum dicitur: „ Non loquetur a seipso, sed

 „ quæcun-

„ quæcunque audiet, loquetur, „ significatur ab eo „ esse & procedere, a quo audit; ita cum profert Fi- „ lius: „ De meo accipiet: „ Palam ostendit eum de „ suo: hoc est, de essentia sua essentiam habere, & „ procedere. „ His adde Julianum Pomerium, Vigilium Tapsensem, Agnellum, Cassiodorum, Isidorum Hispalensem, Alcuinum, quorum testimonia profert *Æneas Parisiensis* lib. adversus Græcos, Tomo VII. Spicilegii.

*Photius refellitur.*

XXII. Ex his *Photius* refellitur, qui tum in Epistola Encyclica, tum in Epistola ad Aquilejensem Archiepiscopum, effutiit, Dogma de processione Spiritus sancti a Patre, & Filio blasphemum esse, repugnare Christi verbis, dicentis: *Spiritus, qui procedit a Patre:* & Sacris Synodis, & SS. Patribus, Athanasio præcipue, Gregorio Theologo, Basilio, Chrysostomo, S. Leoni, adversari. Si decem, vel viginti ex Patribus dixerint Spiritum sanctum a Filio procedere, sexcentos id nequaquam dixisse. Quosdam SS. Patrum multis in rebus sæpe a rectorum dogmatum exacta via recessisse: in iis eos non admitti, in aliis tamen recipi: Quod Dionysii Alexandrini, Methodii, Irenæi, Papiæ probat exemplis. *Eodem etiam pacto*, inquit, *si qui illorum deducti sunt, ut dicerent Spiritum sanctum a Filio procedere, illud quidem, quod repugnat Dominicis verbis, non suscipimus, ipsos tamen veneramur, & a Patrum numero non segregamus.* S. Leonem impudenter appellat velut errori suo faventem: quem tamen evertit, non solum loco inter probationes laudato, sed etiam Epistola 39. seu 16. in Editione P. Quenellii, ad *Turribium* data, cap. 1. ubi contra Priscillianistas sic loquitur: *Primo itaque Capitulo demonstratur, quam impie sentiant de Trinitate divina, qui & Patris, & Filii, & Spiritus sancti unam, atque eandem asserunt esse Personam; tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nomi-*

ne-

*netur: Nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque processit?*

*Græcorum Schismaticorum objectionibus respondetur.*

Objiciunt Schismatici, in Synodo Ephesina *Carisium* Presbyterum de confiƐto Symbolo Nestorii, quod *Anastasius*, & *Photius* Nestoriani per *Antonium*, & *Jacobum*, qui Thessaradecatitarum hæresi antea ejurata, *Nestorio* se addixerant, publicarunt verba facientem, inter alia in eo contenta, hæc recitare. „ Et in Spiritum sanctum, qui cum sit ex Dei Substantia, Filius „ non est, sed Substantialiter Deus utpote ejus Sub„ stantiæ existens, cujus est Deus, & Pater, ex quo „ quidem est secundum substantiam peculiari ratione, „ præ universa creatura; quam non essentialiter, seu „ causalitate creationis ex Deo censemus esse. Sed „ nec Filium illum putamus, neque per Filium Sub„ stantiam sortitum. „ In hac Professione Fidei, inquiunt, Spiritus, per Filium non esse asseritur. Illam Synodus audivit, discussit, reprehendit ea, quæ reprehensione digna erant: quod traditur de sancti Spiritus origine, reliquit intactum. *S. Cyrillus* duodecim Capitula proposuit *Nestorio*, ejus erroribus opposita, quæ profiteri, & quibus subscribere deberet; in quibus de Processione Spiritus sancti ne verbum quidem habetur, Immo *Cœlestinus* Papa, tum in Epistola ad *Nestorium*, tum ad Clerum Constantinopolitanum, hunc *Nestorio* errorem non exprobrat. Denique *Theodoretus S.* Cyrilli Capitula 12. reprehendens, Propositionem quæ *ex Filio*, aut *per Filium* Spiritum sanctum existentiam habere asserit, ut blasphemam, ac impiam rejicit. Cui objectioni *S. Cyrillus* nihil respondit omnino, *Theodoreti* sententiam, quod in aliis sibi objectis non fecit, silentio suo approbare visus. Cum itaque Processio Spiritus sancti ex solo Patre publice lecta in Synodo, & *Theodoreti* Scripto publice contra *S. Cyrillum* defensa, non fuerit a Patribus Ephesinis rejecta, sententiam illam hæreticam non judicarunt.

Re-

Respondeo. Synodi Ephesinæ Patres, non omnes *Nestorii* errores examinasse, ac damnasse, sed eos tantum, quos in Mysterium Incarnationis evomuerat, parum sollicitos, si quid non satis caute de Trinitate affirmasset. Quæ quamvis postea *Theodoretus* in pejorem sensum traxerit; attamen sancta Synodus, & *S. Cyrillus*, ne Ecclesiæ Christi novam inferre controversiam viderentur, in præcipuum, & manifestum errorem subvertendum toti incubuere; quæ vero in rectum sensum trahi posse videbantur, neglexere. Verba porro Symboli, quod a *Carisio* Presbytero lectum est, sensum Catholicum patiebantur: Scilicet Spiritum sanctum existentiam per Filium non habere, id est, non fuisse factum, nec creatum a Deo per Filium, cum reliquis omnibus creaturis. Ideo hæc Propositio non est a Concilio reprobata. Sed cum in eodem falso Symbolo scriptum esset: „Primo quidem, ac præcipue Deum „ Verbum, qui secundum essentiam Dei Filius, & Do„ minus est, mente concipientes, mox vero in illo, & „ cum illo, quod assumptum est, hoc est, Jesum a „ Nazareth, animo complexi, quem Deus Spiritu, & „ virtute innunxit, tanquam in conjunctione cum Dei „ Verbo, filiationis, & dominationis participem." Ex quibus verbis dubium nascebatur, an Spiritum Sanctum proprium Filii, vel alienum: & aliena, non propria virtute Christum miracula facientem *Nestorius* assereret; *S. Cyrillus* latenti veneno antitodum opposuit Anathematismo IX. docens *Spiritum*, per quem Filius in natura assumpta miracula patravit, *Proprium Filii esse*. Quod *Theodoretus* ad Processionem Spiritus sancti conversum, calumniandi libidine reprehendit. Ejus vero criminationem *S. Cyrillus* non neglexit, sed ejus objectionem confutavit ipsius Christi verbis; Omnia quæcunque habet Pater, sua esse, &c. „ Procedit enim, „ *inquit*, ex Deo, & Patre Spiritus sanctus, secundum „ *Salvatoris* vocem; sed non est alienus a Filio: o„ mnia enim habet cum Patre; & hoc ipse edocuit de „ Spiritu sancto. Omnia, quæcunque habet Pater, mea

„ sunt.

„ sunt. Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet; „ & annuntiabit vobis. " Manuel Calecas lib. 2. contra Græcos, ait, *S. Cyrillum*, & Ephesinos Patres, sapientiores Medicos imitatos fuisse, qui cum infirmum gemino morbo laborare animadverterint adversus eum, qui perturbat magis, & sectione indiget, etsi in suo genere minor esse videatur, prius armantur. Et Judices sæpenumero reum aliquem nacti plurimis criminibus obnoxium, illud unum, in quo deprehensus fuerit, omissis interim cæteris, illi maxime objiciunt. Ita in causa *Nestorii* Patres se gessisse, præcipuum errorem discussisse ac damnasse, alios, qui non ita erant manifesti, neglexisse.

Objicit *Photius. Leonem III.* Romanum Pontificem immaculatam fidei doctrinam quibusdam ancylibus quasi clypeis constructis, & columnis erectis scripsisse, & ad Ecclesiæ valvas in conspectu omnium collocasse, ut nullo modo Novatoribus pateret aditus depravandi Fidei Symbolum, & asserendi Filium secundam causam Spiritus sancti præter Patrem. Ita scribit in Epistola ad Aquilejensem Patriarcham.

Respondeo. Factum *Leonis III.* Photio non favere: qui tametsi illud, *Filioque*, addi Symbolo, & cantari non probaverit, nulla causa tunc id postulante, nulla urgente necessitate, & Symbolum absque illa additione in argenteis tabulis exaratum servari jusserit ad memoriam posteritatis sempiternam: tamen Processionem Spiritus sancti a Patre, & Filio, ceu dogma fidei ab Ecclesia credi professus est, ut constat ex Actis Collationis Legatorum Gallicanæ Ecclesiæ, & *Caroli Magni* Imperatoris, ex Synodo Aquisgranensi ad Sedem Apostolicam directorum cum *Leone III.* quæ ex Abbate *Smaragdo* Sirmondus descripsit Tomo II. Conciliorum Galliæ: *Lectis enim a prædictis Missis per ordinem testimoniis*, de Processione Spiritus sancti a Patre, & Filio, *atque a Domino Apostolico diligentissi-* *Bernario Wormatiensi, Jesse Ambianensi*

me

Episcopis, & Adalardo Abbate Corbejensi.

*me auditis*, *ait: Ita ſentio, ita teneo, cum his Auctoribus, & ſacræ Scripturæ Auctoritatibus. Si quis aliter de hac re ſentire, vel docere voluerit, defendo, & niſi converſus fuerit, & ſecundum hunc ſenſum tenere voluerit, contraria ſentientem funditus abjicio.* Rogantibus deinde Legatis cur non eſſet bonum inſerere Symbolo, & cantare, quod credere bonum erat: Reſpondet Pontifex: *Bonum certe, & valde bonum, utpote jam Fidei Sacramentum magnum, quod non licet non credere, quisquis ad hoc valet pertingere.* Quærentibus rurſus Legatis, Num Patres, qui in ſex univerſalibus præcipuis Conciliis ſederant, recte non feciſſent, ſi quatuor tantum addendo ſyllabas tam perneceſſarium Fidei Sacramentum cunctis deinceps ſæculis perſpicuum redderetur, Pontifex reſpondet: *Sicut non audeo dicere, non bene feciſſe, ſi feciſſent; quia procul dubio ſicut cætera, quæ vel omiſerunt, ſcientes utique, & non tam humana, quam divina illuminati ſapientia fecerunt: ita quoque non audeo dicere iſtud, eos nobis minus intellexiſſe, perpendiſſe, cur dimiſerunt, vel cur dimiſſum; ne ultra mitteretur, ſicut & cætera prohibuere. Tu, & tui videte, quid ſentiatis de vobis. Nam & ego me illis non dico præferam; ſed etiam illud abſit mihi, ut coæquare præſumam.* Reponunt Legati, nec tam ſuperbos ſe eſſe, ut illis ſeſe non tantum præferre, ſed vel coæquare præſumant. Sed inquiunt: *Quia præfatum Symbolum a quibusdam ita cantari reperimus, & quod id Eccleſiaſticæ congruere Fidei, ſicut ſentiamus, utique cognovimus: atque per hoc, & nunc jam plurimos doctos, & ſine fine uſque in finem ſæculi, de tanto Myſterio, ſi ita teneatur, inſtruendos eſſe cognovimus, melius nobis viſum fuit cantando tantos inſtruere, quam tacendo indoctos relinquere.* Pontifex ipſos interrogat: *Num univerſa bujusmodi Fidei myſtica Sacramenta, quæ Symbolo non continentur, ſine quibus, qui ad hoc pertingere poteſt, Catholicus eſſe non poteſt, Symbolis inſerenda, & propter compendium minus intelligentium, ut cuique libuerit, addenda ſunt?* Legati reſpondent: *Nequaquam,*

quia

*quia non æque omnia necessaria sunt.* Et rogant Papam, ut det aliquid æque necessarium, quod symbolo desit, ac illud de Processione Spiritus sancti a Patre, & Filio. Respondet ille: *Numquid magis salutare est credere, periculosumve non credere Spiritum sanctum a Filio sicut a Patre procedere, quam Filium Sapientiam Deum a Sapientia Deo, veritatem Deum a veritate Deo genitum esse, & tamen utrumque unam sapientiam, unam veritatem essentialiter Deum esse; cum tamen constet id a SS. Patribus eidem Symbolo inditum non esse?* Objicientibus Legatis cantandi Symboli datam esse ab ipso Pontifice licen iam, respondet ille: *Ego licentiam dedi cantandi, non aut m cantando quippiam addendi, minuendi, seu mutandi: & ut expressius aliquid, quia vos cogitis, loquar: quamdiu vobis in hoc satis fuit, quomodo in bujusmodi cantando, vel celebrando Sacrosanctis Mysteriis sancta Romana tenet Ecclesia, nequaquam aut nobis in talibus laborare, aut aliis laborandi occasionem necesse fuit ingerere. Quod vero asseritis, ideo vos ita cantare, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantasse, quid ad nos? Nos enim idipsum non cantamus, sed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo, aut docendo addere quippiam eidem Symbolo inserendo præsumimus. Quæ vero prædictis Symbolis Fidei tantum non congruentia deesse cognoscimus, non (ut sæpe dictum) inserere præsumimus; sed locis temporibusve opportunis, quibus competit, ministrare curamus.*

Objiciunt *Photius*, cæterique Schismatici Synodum Constantinopolitanam sub *Joanne VIII.* celebratam, in qua Legati Apostolici Symbolo Fidei, quo Spiritus Sanctus tantum dicebatur a Patre procedere, subscripsere; & ne aliquid symbolo Fidei adderetur, vetitum est.

Respondeo, Synodum illam non fuisse legitimam, cui *Photius* præfuit, depravatis Literis Romani Pontificis, Octavamque Synodum Oecumenicam damnavit,

vit, & in qua Legati mandata Sedis Apoſtolicæ violarunt, & Eccleſiæ cauſam prodidere. Nec tamen ulla mentio de Proceſſione Spiritus Sancti, aut de adjectione ad Symbolum, hac in Synodo facta eſt. *Si quis enim in extremo Geſtorum Synodi ipſius ordine de additione dictum putat, quod ſcilicet non oporteat auferre, vel addere; quod etiam quidam ad ſeducendos ſimpliciores obtendunt: ſciendum eſt hoc a quibusdam, poſtea Geſtis Synodalibus appoſitum, hinc oſtendere nitentibus, hujusmodi additionem fuiſſe prohibitam. Hoc autem rationem non habere, perſpicuum eſt. Primum quidem, quoniam in Geſtis hujus Synodi Commentariolum quoddam eſt, eorum, quæ in eo Concilio erant diſcutienda, expoſitionem per ordinem continens, quod Legati Synodo propoſuerunt: Commentarium ſibi a Summo Pontifice datum aſſerentes, ut meminiſſent, quæ in ea Synodo vel dicenda, vel facienda eſſent. Neque enim in eo quidquam de additione, vel de Symbolo omnino ſcriptum eſt. Et certe id in prima ſtatim fronte ponendum fuit, ſive a Romano Pontifice illis de hoc fuiſſet quidquam imperatum, ſive etiam Synodus illa, quam quadringentorum ferme Epiſcoporum implebat numerus, blaſphemam hanc additionem putabat, cur non principaliter de illa verba fecit? Ita enim in præcedentibus Synodis de fide primo loco ſemper agebatur. Cur autem in Deum blaſphemantibus conveniebant, ipſisque de concordia ad invicem tuenda obtemperabant, vel omnino ſub ſilentio ſe continebant. Quando vero nihil dixiſſe comprobantur, cui non perſpicuum ſit, veram eos illam additionem exiſtimaſſe. Neque enim dici poteſt eos ignoraſſe Latinos cum additione Symbolum legere, cum id Oriens totus jam tunc, ſaltem e B. Maximi temporibus didicerit? Deinde, ut concedamus, Photium additionem non admiſiſſe: rationabile certe non erat, poſteaquam a Romano Pontifice Patriarcha confirmatus fuerat, verbum de additione movere: ne vix tandem voti compos effectus, per illum rurſus abrogatus, amitteret omnia. . . . . Et illud autem indicant adjectum a quibusdam, quod poſt plurima, Imperatorum anni, ſubſcriptiones-*

*Sive Commonitorium Legatis datum a Summo Pontifice.*

*nesque Episcoporum annotatæ sint, & gloria reddita sit Deo pro Ecclesiæ unione. Quæ omnia in fine Gestorum Synodalium scribuntur. Quod autem de non adjiciendo, vel auferendo adjectum est, seorsim positum, & ab aliis aperte disjunctum, & separatum est. Non igitur suscipiendum est post eorum, quæ inquirebantur, enodationem, post compositas res, post finem denique Concilii, post illa, quæ in fine Synodorum apponi consueverunt, rursum illos putare de his agere cœpisse, de quibus nulla esset facta mentio. Aut enim principaliter ea res agenda fuit, aut non ita prætereunter, & intempestive, & præter locum debitum agenda.* Ita respondet Manuel Calecas lib. 4. contra Græcos.

Objicit *Photius*, Quis cultui initiatus Christiano ferre queat duplicem in Trinitate causam dari, Patrem nempe causam Filii, & Spiritus? Spiritus autem causam Filium? Hoc est, inquit, Monarchiam in duplicem Deitatem dissolvere.

Præterea, Si proprium sit Spiritus solius in diversa principia relationem habere, solius erit Spiritus principium habere multiplex, & non unum.

Tertio, Spiritus procedit a Filio. Utrumne eadem Processione, an adversa Processione a Patre. Si eadem, quomodo non communicantur proprietates. Si contraria, in Marcionis, & Manetis hæresim impingitur.

Respondeo, Non esse duplicem causam (ut Græci loquuntur) id est, „ Principium duplex Spiritus Sancti, quia vis eadem spirativa est Patris, & Filii: ad quos unica relatione refertur Spiritus sanctus, ut ad unum Principium, sicut & eadem Processione ab utroque procedit, ut amborum communis amor. „ Nec propterea communicantur proprietates, immo communicarentur, nisi Spiritus sanctus a Filio procede-

 ret,

ret, quia nulla Filium inter; & Spiritum Sanctum intercederet relatio, quæ in sola origine fundatur. ,, Non
,, igitur simpliciter aliqua duo sunt Pater, & Filius,
,, ex quibus Spiritus Sanctus provenit. Nam neque
,, duæ res propriæ sunt, sed una; neque duæ substan-
,, tiæ, sed una: neque duo principia, sed unum; ne-
,, que duo Dii, vel Domini, seu Sancti, sed unus
,, Deus, unus Dominus, unus Sanctus. Unde patet,
,, quod secundum quid duo dicuntur, Pater, & Fi-
,, lius, veluti duæ Personæ, duæ Hypostases. Igitur
,, cum hæ duæ Personæ non sint duo principia, ne-
,, que duo simpliciter, manifestum quidquid ab iis pro-
,, venit, ex duobus minime prodire principiis, posito,
,, & concesso Spiritum Sanctum ex utroque procede-
,, re. Atque ideo impossibile est colligi duo principia
,, esse Patrem cum Filio. *Id illustratur exemplis.* Ea-
,, dem substantia semen, fructus, & esca dici potest:
,, semen, respectu serendæ telluris; fructus, respectu
,, præteritæ messis: Esca vero, ut in corporis per-
,, mutanda substantiam. *Nec tamen recte colligitur;*
,, Si esca ex semine, & fructu proveniat, quod ex
,, duobus ideo principiis progrediatur. Quippe non sunt
,, duo semen, & fructus, nisi ratione; quemadmodum
,, ascensio, & descensio: via scilicet Thebis Athenas,
,, & Athenis Thebas.... Sic quidem Pater, & Filius
,, unum ambo principium existunt Spiritus Sancti, ne-
,, que ideo colligitur Patrem esse Filium, vel Filium
,, Patrem, seu ambos duo principia. ,, Ita respondet
*Hugo Etherianus* lib. I. *De hæresibus, quas in Latinos Græci devolvunt, cap.* 4. Qui, & inde perperam colligi ostendit personalium proprietatum confusionem. *Quemadmodum enim Pater, non in eo quod Pater; emittit, ita & Filius, non in eo quod Filius, causa, principiumque Spiritus.* Id exponit exemplo. *Si enim Dei, & hominis Filius una Persona est, & divina humanaque natura unus Christus: non debet inopinabile, duas personas unam Spiritus Sancti causam esse, videri.* Sic ille, *lib.* 2, *cap.* 4.

Id

Id rursus alio illustratur exemplo. Tres Personæ mundum hunc, creatásque res universas producunt: neque tamen aut non Personæ tres sunt invicem distinctæ; aut causæ tres, principiaque sunt. Eccur? Quia non ea ratione res creatas producunt, qua mutuo differunt; sed quatenus in eandem essentiam, & vim procreatricem conveniunt. Sic Pater, & Filius, etsi duæ Personæ sint, non tamen principia sunt duo Spiritus sancti, quia unam, eandemque numero spirandi vim habent. Id egregie explicat *Sanctus Anselmus*, lib. De Processione Spiritus sancti, cap. 9. *Quemadmodum igitur lacus non est de hoc, unde diversi sunt ab invicem fons, & rivus; sed de aqua, in qua unum sunt. Si ergo non magis est Pater hoc, unde Spiritus sanctus est, quam Filius, intelligi nequit, cur magis sit de Patre, quam de Filio. Quod si dicunt, non eum esse posse de duabus causis, sive ex duobus principiis: Respondemus, Quoniam sicut non credimus Spiritum sanctum esse de hoc, unde duo sunt Pater, & Filius, sed de hoc, in quo unum sunt; ita non dicimus duo ejus principia, sed unum principium. Quippe, cum dicimus, Deum principium creaturæ, intelligimus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unum principium, non tria principia, sicut unum, Creatorem, non tres Creatores, quamvis tres sint, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; quoniam per hoc, in quo unum sunt, non per hoc, in quo tres sunt, est Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus, principium, sive Creator. Sicut igitur, quamvis Pater sit principium, & Filius sit principium, & Spiritus sanctus sit principium, non tamen sunt tria principia, sed unum ita cum Spiritus sanctus dicitur esse de Patre, & Filio, non est de duobus principiis, sed de uno, quod est Pater, & Filius.*

Addit *Manuel Calecas* lib. 3. contra Græcos. „ Tantum vero abest, ut Romani, & Latini, duo Spiritus principia, duosve processus confiteantur, ut eos „ quoque anathematizent, qui talia dicere præsumunt. Denique in Lugdunensi Concilio, Græcis,

 „ La-

„ Latinisque congregatis, hæc ſententia promulgata
„ eſt: quamplurimis in locis Græcis, Latinisque
„ inſcriptam literis, & libris, facile, qui quærit,
„ invenit.

„ Gregorius X. in Generali Concilio Lugdunenſi,
„ Fideli, ac devota profeſſione fatemur, quod Spiritus
„ Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam
„ ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno princi-
„ pio, non duabus ſpirationibus, ſed unica Spiratione
„ procedit. Hoc profeſſa eſt hactenus, prædicavit, &
„ docuit: Hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur,
„ & docet Sacro-ſancta Romana Eccleſia, Mater om-
„ nium Fidelium, & Magiſtra: Hoc habet Orthodoxo-
„ rum Patrum, atque Doctorum Latinorum pariter, &
„ Græcorum incommutabilis, & vera ſententia. Sed
„ quia nonnulli propter irrefragabilis ignorantiam ve-
„ ritatis in errores varios prolapſi ſunt: Nos hujusmo-
„ di erroribus viam præcludere cupientes; ſacro ap-
„ probante Concilio damnamus, & reprobamus omnes,
„ qui negare præſumpſerint, æternaliter Spiritum ſan-
„ ctum ex Patre, & Filio procedere, ſive etiam te-
„ merario auſu aſſerere, quod Spiritus Sanctus ex Pa-
„ tre, & Filio, tanquam ex duobus principiis, & non
„ tanquam ex uno procedat.

Objicit *Photius*: Si Spiritus ſancti ſpiratio commune quiddam eſt Patri, & Filio, Spiritus ſanctus pluribus proprietatibus diſtinguitur a Patre, quam Filius; ideoque proximior erit Paternæ ſubſtantiæ Filius, quam Spiritus ſanctus. Id Photiani ſchismatis hæredes alio modo proponunt apud Manuelem Calecam lib. 3. contra Græcos. „ Si Spiritus ſanctus etiam ex Filio pro-
„ cedit, major quidem Spiritu Filius erit, ſecundum
„ cauſam; eritque tertius a Patre. Ac Filius quidem
„ ſimilior Patri, utpote ex ipſo ſine medio exiſtens:
„ Spiritus vero Patri diſſimilior, neque ita idem ſicut
„ & Filius. Erit etiam Filio minor, quippe, qui per
„ illum

„ illum majorem. connectitur Patri. Et Filius quidem minorem distantiam habebit ad Patrem: Spiritus autem majorem, maxime cum nullius causa sit.

Respondeo, nego consecutionem antecedentis: Sola enim Processione, sive Spiratione passiva distinguitur a Patre, & Filio Spiritus sanctus. Nec Paternæ substantiæ unus altero proximior est, cum uterque a Patre immediate procedat, ab eoque divinitatem totam accipiat, sed ille nascendo; iste procedendo. Quamquam non ita immediate se habeat ad Patrem Spiritus sanctus, si Personarum ordo spectetur. „ At „ ista sacris Doctoribus potius imputanda sunt, siquidem absurda videantur. Ipsi quippe sunt, qui Spiritum a Patre tertium docent, sumpta scilicet ab ipso Domino occasione in salutaris traditione Baptismatis, ac per Filium procedere dicunt, perque ipsum Patri conjungi. Majorem quoque Filium Spiritu sancto, magnus ait Athanasius. Quod si ista a Sanctis dicta sunt: omnino nulla eos, qui ista dicunt, absurditas sequitur. Præterea que Spiritus sanctus, si a Patre quidem alio processu: a Filio autem alio procederet, essetque processus ex ambobus duplex, fortassis haberet rationem, culpare differentiam processuum: quod etiam differenter a Patre, & Filio distaret Spiritus; ac propterea gradus in personis quosdam cogitare. Sin vero unus, idemque sibi ab utroque processus est, similiter etiam ad utrumque referetur. Itaque aut similiter utrique æqualis erit, nihilque distans, atque dissimilis. Sed enim, quemadmodum Pater non magis perfectus est, quam Filius: quod ille causa, iste causalis sit: neque ideo ab illo distat, etsi secundus ab eo causæ ratione dicitur; Divinitas enim in utroque una: ita & Spiritus sanctus, etsi juxta unicum ejus, simplicemque Processum, ex Patre per Filium est, & ad Patrem, &

„ Filium veluti ad unum productorem, spirantemque „ refertur; quorum & Spiritus est, & spiraculum di„ citur: non tamen minor est Filio: neque Patre „ minor erit, licet per Filium Patri conjungatur, „ alioquin & Filius erit dissimilis Patri, eo, quod cau„ salis sit; etsi non ita sicut Spiritus, juxta tamen „ proportionis rationem. Et sicut Pater, causæ ra„ tione, Filio major a plerisque Patribus asseritur, „ neque idcirco tamen Patre minor est Filius: ita „ & Filius, etsi major Spiritu dicitur, non tamen „ propterea Spiritus ipso erit minor. Quocirca Ma„ gnus quoque Basilius dicebat: *Etsi Filio succedit* „ *ordine, & dignitate, non tamen alienæ naturæ est*, „ Ista enim propter causæ, & causalis ad invicem or„ dinem, & relationem dicuntur. Ordo autem, & „ ad aliquid quomodolibet habere, naturarum non „ facit differentiam. Nam verbi gratia, eo, quod a„ micus sit, vel vicinus, vel magister, nihil in se „ ipsum alicui accedit, ut propter habitum perfectior „ in se ipso secundum essentiam sit. Neque si quis„ piam filium, ac nepotem habeat, tertius maxime e„ rit, vel similior, vel dissimilior avo secundum essen„ tiam, quam filius. Quod si in rebus humanis ita „ contingit, multo magis in divinis personis, ubi una „ asseritur natura, ac præter solam, quæ secundum „ causam, & causale est differentiam, nulla alia discre„ tio est. *Ita respondet* Manuel Calecas *lib.* 3. *contra Græcos.*

Brevius id explicat *Bessario Cardinalis* in Refutatione Antirrhetici *Palamæ* adversus duodecim *Joannis Becci* capita. *Jam vero* , inquit, *si quis ad singularem emissionem, & identitatem Processionis ex utroque respiciat; tum hoc animadvertat, Patrem esse fontem, & causam Divinitatis; immediate ex Patre esse Spiritum inveniet; eoque pertinere, quas affert sententias. Sin ordinem consideret, qui reipsa inest in Trinitate, nec sola nostra cogitatione constat; medium videbit esse Filium; & tertium*

*a*

*a Patre Spiritum, ac per Filium a Patre procedentem, ac priorem ſe cogitatione habentem Filium: quemadmodum Patrem habet Filius.*

Objiciunt Schismatici: Una erit Patris, & Filii Perſona, ſi ſpiratio Spiritus ſancti ſit utrique communis, cum Perſonæ proprietatibus diſtinguantur.

Reſpondet *Gennadius* Conſtantinopolitanus Patriarcha, in Expoſitione pro Concilio Florentino, c. 1. Sectione 10. Id nequaquam eſſe conſequens, quia ſpiratio non eſt proprietas conſtitutiva Patris, & Filii, ſive proprietas hypoſtatica, ſed notionalis. „ Si, *inquit*, perſonale, ſive hypoſtaticum Perſonæ Patris actum producendi poneremus, tunc utique id inconveniens ſequeretur, vereque eſſet Filius una cum Patre Perſona conſtitutivæ proprietatis cum eo communicans. Sed quia Perſonæ Patris conſtitutiva proprietas Paternitas, & generatio dicta eſt eſſe; producere vero proprietas, ſive notio, quæ ſequitur Perſonam conſtitutam ipſius; quæ neceſſitas eſt eum, qui cum illo communem habet eam proprietatem, quæ Perſonæ ejus conſtitutiva non eſt, unam eſſe cum eo Perſonam? Nam ſicuti communicans cum Patre Filius, ſcilicet Spiritum ejus eſſe, quemadmodum & Patris, & mitti ab eo, quemadmodum & a Patre; tamen non cum eo Perſonas communicat, quia Spiritum dici Patris, vel ab eo mitti, non eſt paternæ Perſonæ conſtitutivum; ſic neque qui productionem cum Patre communem habet in unam Perſonam conjungitur, quia producere non eſt paternæ Perſonæ conſtitutivum. Quod ſi mirum eſt duas Perſonas unum eſſe Principium, & non conjungi, magis mirum erit, quod tres Perſonæ ſint unum principium, nec conjungantur.



Objicit *Photius*. Si Spiritus sanctus a Patre procedit, & Filio, in duplicem existentiæ suæ causam relatus, non evadet, quin & compositus sit.

Respondet *Manuel Calecas* lib 3.. contra Græcos, primum id ipsis Patribus objicere debuisse, qui id, quod dicitur, *De meo accipiet*, pro eo, quod est, *Ex Filio*, exposuere. Deinde Spiritum Sanctum aliud a Patre, aliud a Filio non accipere. *Sive igitur per se quis compositionem vult, nihil aliud, quam essentiam, & esse, & quod est, accipit: Esse vero, & essentia sancti Spiritus, & quod est, unum quiddam, & simplex est: sive propter eos, qui dant, aut producunt, unum est Pater, & Filius. Non enim in quantum duo sunt, sed in quantum unum, ex Patre, & Filio est Spiritus sanctus, sed quemadmodum Filius totus ex toto; ita & Spiritus totus ex toto asseritur. Neque aliud quidem totum Pater, aliud autem totum Filius; sed unum totum est juxta Fidei positionem, gignendi, ac nascendi discretione servata. Nullo ergo modo compositionem cogitare licet. Quamquam etiam si plusquam tres Personæ esset Deus, nulla necessitas compositionis esset, & quod extremum, Processionis ordine a singulis acciperet. Non enim dantium multitudine, sed ex eorum, qui dant, eorumque, quæ insunt, differentia, composito judicatur. Si autem quæ dantur, differentia sunt, & quæ insunt, differre necesse est: atque ita compositum erit, quod ex hujusmodi constabit: quod in sancto Spiritu nusquam habet locum.*

Objicit Photius: Quorsum e Filio procederet Spiritus Sanctus, si Processio a Patre sit perfecta? Est autem perfecta; quia perfectus Deus a Deo perfecto. Quæ autem illa a Filio Processio, & quam ob rem?

Respondet *Bessario* lib. *De Processione Spiritus sancti*, hanc objectionem erroneo niti fundamento, quod ni-

nimirum Pater, & Filius duo ſint diſtincta Spiritus S. principia, duæque ſint ſpirationes, quibus Spiritum ſanctum producunt. Sed cum unica ſit, & ſingularis vis ſpiratrix, una, & ſingularis ſpiratio, una & ſingularis Spiritus ab utroque Proceſſio, nulla inter ipſos, & eorum actiones comparatio fieri poteſt.

Idem ante *Beſſarionem* reſponderat *Manuel Calecas* lib. 3. contra Græcos, additque eundem Paralogismum poſſe in Græcos retorqueri. *Nam ſi perfecte a Patre mittitur Spiritus ſanctus, ſuperfluum erit, & a Filio mitti: Sin autem imperfecte; non ergo perfectus eſt Pater. Etſi perfecte omnia a Patre creata ſunt, quid neceſſe fuit dicere:* Omnia per ipſum facta ſunt, *ſin autem imperfecte; contra Patrem blaſphema nihilominus ora laxabunt.*

Præterea viciſſim illi interrogandi ſunt, *An perfecta ſit mundi ex Patre creatio, vel non. Si perfecta, cur Filius, & Spiritus ſanctus cauſa ejus ſunt. At ſi imperfecta, & ideo Filius & Spiritus aſſumuntur, animadvertant, quid affirment. Sed perfecta, ut arbitror, eſt ex Patre entium productio, una, & eadem numero Filii, & Spiritus ad ea producenda operatio, neque alia eſt illius, alia horum. Sic ergo & his evenit. Perfecta eſt, & magis quam perfecta eſt ex Patre Spiritus ſancti Proceſſio: una, & eadem numero eſt, quæ eſt ex eodem Filio Proceſſio. . . . Cum una, & eadem numero poteſtate uterque producat.*

Objicit *Photius.* Si omnia Patris, & Filii communia ſunt, certe ea, quæ Spiritum ſpectant, ſunt etiam communia; nempe Deus, Rex, Creator, Omnipotens. &c. Quod ſi Proceſſio Spiritus ſancti ſit Patri communis atque Filio; tum a ſe ipſo procedet Spiritus ſanctus, ipſe ſibi principium erit.

Reſpondeo, abſoluta omnia attributa perſonis tribus eſſe communia, & quæ ad creaturas ordinem habent, ut Creator, Dominus &c. Non autem proprietates Perſonarum. Harum enim quædam ſunt hypoſtaticæ, quas *Hugo Etherianus* vocat *Perſonarum inſignitivas*, ſive, quæ Perſonas conſtituunt, cujusmodi tres ſolo in Deo reperiuntur, ſcilicet Paternitas; Filiatio, & Proceſſio. Aliæ ſunt notionales, quæ non conſtituunt, ſed indicant Perſonas, & harum nonnullæ uni Perſonæ tantum conveniunt, ut eſſe ingenitum, Patri; aliæ duobus, ut ſpiratio activa Patri, & Filio.

Nec vero conſequens eſt, etiam Spiritum ſanctum ſuæ Proceſſionis auctorem futurum; quia eandem habet eſſentiam cum Patre, & Filio. Siquidem non præciſe id eſſentiæ divinæ convenit, qua eſſentia eſt, ut producat Spiritum ſanctum, ſed eſſentia, qua Paternitate, Filiationeque affecta eſt, & modificata; quibuscum ſpirandi proprietas complexa eſt, ut Theologia docet.

Objicit *Nicolaus Metonenſis*, apud Hugonem Etherianum, lib. 11. Si, quia natura unum ſunt Pater, & Filius, ideo ut ex Patre, ita ex Filio dandum eſt procedere Spiritum ſanctum; conſequens erit, & Filium ex Spiritu ſancto, ſicut ex Patre generari, quia Pater, & Spiritus ſanctus unum ſunt natura.

Reſpondet *Hugo Etherianus*, Latinos non ideo aſſerere, Spiritum ex Filio eſſe, quod Pater, & Filius unus Deus ſint; ſed propterea propugnare ipſius ex utroque Proceſſionem. *Quia æqualiter Filii, atque Patris exiſtit, non condibiliter, non naſcibiliter, non poſſeſſive, ſed ſimiliter amborum eſt, nequaquam ut actus, & opus eſt hominis; ſed quodammodo ut radii alma lux exiſtit & Solis.* . . . . . Quamobrem conſequens non eſt, ut Filius ſit ex Patre, & Spiritu ſancto, propter unitatem naturæ, ſicut Spiritus ſanctus eſt ex Patre,

tre, & Filio propter unitatem virtutis ſpiratricis. „ In „ quibus enim nihil indignum, nec indecens Divinas „ Perſonas conſequitur, in his Patrem dicimus cauſam, „ & Filium concauſam, nec aliqua injuria Filio, Pa- „ trive, aut ſancto Spiritui corrogatur. Nam in lega- „ tionibus, & donationibus Spiritus, ſemper Patris Fi- „ lius conſors eſt. At Spiritum dicere Patrem, ſeu „ Filium Spiritum appellare, execrabile, profanumque „ eſt. Sed propoſitio, quæ dicit: Emiſſionem Spiritus „ Patri, & Filio communem eſſe, proprium Paternæ „ Perſonæ, quo aptus natus eſt inſigniri Pater ſolus, „ non interimit: „ Sicut interimeret proprietatem inſignitivam Filii Proceſſio ex Spiritu ſancto.

Objiciunt Schismatici Græci: Si ex Patre eſt Filius; ex Patre autem, & Filio Spiritus ſanctus, nepos erit Patris Spiritus.

Reſpondent Catholici Doctores, Id non eſſe conſequens. Nam ut nepos quispiam ſit, gigni eum oportet a Patre, & diverſa quidem generatione ab illa, qua is, qui nepotem proxime genuit Pater, a ſuo patre, nepotis avo, genitus eſt. At Spiritus ſancti Proceſſio neque generatio eſt, neque Patris, & Filii actio diverſa.

Objiciunt Græci Schismatici poſt ſuum *Photium* illa Chriſti verba, Joannis XV. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.*

Reſpondet *Hugo Etherianus*, lib. 3. Morem hunc eſſe Scripturæ Sacræ, ut quædam certis Perſonis attribuat, quæ aliis æquo jure conveniunt. De Filio enim ſcriptum eſt: *Erat lux vera. Nec ideo falſa lux eſt Pater, vel Spiritus: tres enim Perſonæ unum lumen exiſtunt indifferenter, & inde mutabiliter: quia nihil minorationis habet Filius ex eo, quod dicit;* „ Omnia, quæ „ de

„ dedisti mihi: *Sicut nec Pater, ex eo quod scriptum* „ *est*: „ Cum tradiderit Filius Regnum Deo, & Patri. *Quia non ei ut possessionem donando tribuit, sed ut Filio hæredi universorum, quæ Patris sunt, Christo scilicet, qui est Dei virtus, & Dei sapientia. Amplius de consummatione Salvator Discipulos instruens dicit*: „ De die illa „ & hora nullus scit, neque Angeli in Cœlo, nisi Pa- „ ter solus. *Quis cogitet filium exceptum esse, seu Spiritum, ab illa cognitione? . . . . Igitur sicut falsum est, Dominum non habere consummatissimam illorum temporum, & illius diei scientiam quod dixit*: „ Nemo novit nisi Pa- „ ter solus: *Et*, Quæ Pater posuit in sua potestate: „ *ita non est credendum, Filium non emittere Spiritum, quod is dixerit*: „ Qui a Patre procedit; *& non adjecerit, a se Filio. Quod si pro eo, quod ibi scriptum est, manifeste Spiritum ex Filio procedere credere non oportet; propter eandem causam neque dicendum, neque credendum erit, quod Spiritus apud Deum erat.* In principio erat, *Deus, ex Deo erat lumen verum, terræ Cœlique factor, & quod Deus Trinitas sit, tres quoque Personæ unus Deus: cum neque hoc nomen* Persona, *neque hoc nomen*, Trinitas, *Sancti Symboli editio expressit. Amplius*: „ Qui- „ cunque *inquit Apostolus*, in Christo baptizati estis, „ Christum, induistis. *At nusquam sine Spiritu sanctificatio perficitur, sed in Filio Patrem Spiritumque significavit. Et alibi* „ Nemo cognovit Patrem nisi Fi- „ lius, aut cui voluerit Filius revelare. *Quo in loco Spiritus non nominatur, & tamen intelligitur: Nam Spiritus Sanctus & Filium cognoscit, & Patrem. Apud Matthæum loquitur Salvator.* „ Si ergo vos, cum si- „ tis mali, scitis bona data dare filiis vestris; quan- „ to magis Pater vester, qui est in Cœlis dabit bona „ petentibus se. *Ergo non dabit eadem Filius bona? Et iterum*: „ Non enim vos estis, qui loquimini, sed „ Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. *Numquid dum Patris Spiritum esse profitetur, eundem Filii abnegat esse, sed scriptum est*: Spiritum Filii sui misit. *Si ergo in memorato capitulo scilicet*, Spiritus,

qui

qui a Patre procedit, *intelligendum est*, solo: *hoc intelligendum est, solus, & solum: ut syllogistica necessitate inferri possit, Spiritum esse Patris solius, & non solius; & Filii solius, & non solius. Igitur ubicunque de Patre dicitur aliquid, nisi ad personalis distinctionem proprietatis vocabulum Patris proferatur, ut est; Pater dicitur, quia generat, quo in loco non subintelligitur cum eo generare Filius; idem de Filio intelligi oportet. Unde cum dicitur. Qui a Patre procedit:* qui non nominatur cum Patre, subintelligitur necessario.

Cæteras Græcorum Schismaticorum argutiolas, & levioris momenti parologismos, scilicet *Photii*, *Nicolai* Methonensis Episcopi, *Nicetæ* Philosophi Bazantini, *Eustratii* Metropolitæ Nicæni, *Maximi Planudis*, *Nicolai Cabasilæ*, *Andronici Sebasti*, *Nili* Thessalonicensis Archiepiscopi, *Marci* Ephesini Metropolitæ, *Palamæ*, *Germani* Constantinopolitani Patriarchæ, *Metrophanis* Episcopi Smyrnensis, *Maximi Margunii*, confutatos legere potes apud *Hugonem Etherianum*, in libris tribus de Hæresibus, quas Græci in Latinos devolvunt. *S. Thomam* in Opusculo contra Græcos, *Joannem Beccum* Patriarcham Constantinopolitanum, *Demetrium Cydonium*, *Manuelem Calecam* in libris quatuor adversus Græcos, *Joannem* Ordinis FF. Prædicatorum Provincialem Provinciæ Lombardiæ, causæ Latinorum in Synodo Florentina Patronum, cum in ejusdem Synodi Actis, tum in lib. de Processione Spiritus sancti, *Bessarionem* Cardinalem lib. de Processione Spiritus Sancti ad Alexium Lascarim; *Gregorium* Patriarcham Constantinopolitanum, & *Gennadium* ejusdem Urbis Patriarcham, in Expositione pro Concilio Florentino, c. I.

Ex quibus omnibus compertum est, quam recte in Concilio Lugdunensi II. sub *Gregorio X.*, & in Concilio Florentino sub *Eugenio IV.* definiverit Ecclesia Spiritum sanctum a Patre, & Filio procedere. Verba Lugdunen-

gdunensis Concilii supra dedimus. Concilii Florentini verba in Definitione Fidei subjicimus. ,, In nomine ,, sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus san- ,, cti (*inquit Eugenius*) hoc sacro universali approban- ,, te Florentino Concilio, definimus, ut hæc Fidei ve- ,, ritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, ,, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus sanctus ex ,, Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, ,, suumque esse subsistens, habet ex Patre simul, & Fi- ,, lio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno ,, Principio, & unica spiratione procedit; declarantes ,, quod id, quod [illegible]i Doctores, & Patres dicunt: Ex ,, Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad ,, hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, ,, Filium quoque esse secundum Græcos quidem cau- ,, sam, secundum Latinos vero principium subsisten- ,, tiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem. Et quoniam ,, omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio ,, suo, gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ip- ,, sum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse ,, Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æter- ,, naliter genitus est.

## *ASSERTIO II.*

*Additio verborum illorum*, FILIOQUE, *ad Symbolum, jure facta est, nec Latini propterea violati Symboli rei dici possunt. Ratio igitur legitima hæc nequaquam fuit, cur Græci a Romanæ, & totius Occidentalis Ecclesiæ Communione deficerent.*

Revocanda sunt in memoriam, quæ de tempore hujus ad Symbolum factæ accessionis disseruimus Articulo III. Dissertationis 37. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi IV. Legitur (ut dicimus) in Concilio Toletano III. sub *Reccaredo* Rege, anno Christi quingentesimo octogesimo nono, in quo Symbolum Constan-

ſtantinopolitanum a Rege cum hac additione recitatur. In Concilio Toletano Quarto, anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo tertio legitur non quidem in Symbolo; ſed in expoſitione Fidei cap. 1. in Concilio Toletano Sexto legitur pariter, non in Symbolo, ſed cap. 1. quo explicatur doctrina Fidei. In Concilio Toletano VIII. ſub *Receſuinto* Rege, anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo tertio Symbolum recenſetur, prout in ſacris Miſſarum ſolemniis in Eccleſiis Hiſpaniæ recitari conſueverat, in eoque hæc habentur de Spiritu ſancto: *Credimus in Spiritum ſanctum, Dominum, vivificatorem, ex Patre, & Filio procedentem.* Legitur, & in Profeſſione Fidei edita a Patribus Concilii Toletani XI. In Symbolo recenſito a Patribus Concilii Toletani XII. anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo primo, & Concilii Toletani XIII. anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo tertio, & Toletani XV. anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo Octavo. Et XVII. anno ſexcenteſimo nonageſimo IV. In Concilio Forojulienſi ſub *Paulino* Patriarcha, habito anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo primo, in Symbolo Fidei hæc de Spiritu ſancto leguntur. *Qui ex Patre, Filioque procedit.* De additione illa Miſſi *Caroli Magni*, Bernarius, & Jeſſe, Epiſcopi, & Adalardus Corbejenſis Abbas, anno Chriſti octingenteſimo nono cum *Leone III.* Pontifice Maximo Romæ diſceptarunt. Qua ex Collatione ſuperius nonnulla recenſuimus, & in Diſſertatione laudata Sæculi Quarti. Quæſtio, & de Proceſſione Spiritus ſancti agitata fuerat in Synodo Aquisgranenſi eodem anno, quam *Joannes* quidam Hieroſolymitanus Monachus commoverat, teſte *Adone* Viennenſi in Chronico, cui & *Regino* Abbas ſuffragatur.

*Ludovicus Maimbourg. refellitur.*

*Sanctum Henricum* Imperatorem auctorem fuiſſe Benedicto Octavo Pontifici Maximo, ut hæc verba, *Filioque* ad Symbolum adderet, illudque eo cum additamento juberet Romæ decantari, aſſerit *Ludovicus Maimbourg* in Hiſtoria Schismatis Græcorum, lib. II.

te-

testemque laudat *Bernonem* Augiensem Abbatem in lib. de rebus ob Missam spectantibus. At de hac additione silet omnino Abbas, *Berno*, cujus hæc sunt verba cap. 11. ,, Si ideo illum Angelicum Hymnum ,, prohibemur in festivis diebus canere, eo, quod Ro- ,, manorum Presbyteri non solent eum canere, possu- ,, mus simili modo post Evangelium, Symbolum re- ,, ticere. Quod Romani usque ad hæc tempora divæ ,, memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo cecine- ,, runt. Sed ab eodem interrogati, cur ita agerent, ,, me coram assistente, audivi eos hujusmodi respon- ,, sum reddere, videlicet: quod Romana Ecclesia non ,, fuisset aliquando ulla hæreseos fæce infecta; sed se- ,, cundum sancti Petri doctrinam in soliditate Catho- ,, licæ Fidei permaneret inconcussa: & ideo magis his ,, necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando ,, frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerunt ,, maculari. At Dominus Imperator non antea desiit, ,, quam omnium consensu id Domino Benedicto Apo- ,, stolico persuasit, ut ad publicam Missam illud de- ,, cantarent. Sed utrum hanc consuetudinem servent ,, adhuc, affirmare non possumus, quia certum non te- ,, nemus. Non minus falsum est, quod ibi asserit *L. Maimbourg*, Benedictum VIII. in Synodo Romæ celebrata, additionem verborum, *Filioque*, ad Symbolum approbasse. Nulla enim Synodi istius, aut Decreti in Monumentis Ecclesiasticis mentio penitus occurrit, nec P. *Cossartius* Societatis Jesu Presbyter, qui cœptam a P. *Labbé* Conciliorum postremam Collectiorem studiose continuavit, ullam hujusmodi memorat Synodum. Laudat L. *Maimbourg* ad Marginem. *Hugonem Etherianum*, lib. 3. *de Hæresibus*, cap. 16. & Concilium Florentinum Sessione 7. Ferrariæ habita: Sed *Hugo Etherianus* ait, Antiquioris Romæ Antistitem Symbolo hanc dictionem, *Filioque*, apposuisse *Sanctorum plurium Episcoporum, & scientissimorum Cardinalium consensu habito.* Pontificem vero non nominant, qui hujus auctor fuerit; nec ullo modo indicat fuisse *Benedictum*

*Romana Ecclesia in soliditate Catholica Fidei permanet inconcussa.*

*VIII.*

*VIII.* aut quo tempore id factum sit. Nec etiam quo auctore Pontifice, & quando hæ voces ad Symbolum additæ sint, vel leviter innuit. En ejus verba: *Hac ratione coacta fuit Romana Ecclesia, cum magnum videret impendere periculum: jam enim canebatur in Galliis, & Hispaniis. Quare placuit Summo Pontifici, cum multorum Occidentalium Patrum consensu, qui nec dignitate tenues, nec modici erant numero, illud explicare, quod dicimus, & sicut in Symbolo canimus. Nec vero existimavit Romana Ecclesia rem agere, quæ dedeceret.* Et inferius: *Unde, Patres optimi, sequitur, quod in Symbolo Romana dicit Ecclesia, neque additamentum esse, neque abrogatum, & justam explicationis illius causam fuisse, Fidei veritatem, rei necessitatem, Romani Pontificis auctoritatem, tot, tantorumque Patrum collectam Societatem.*

Hanc in additionem, quocunque tempore facta sit, velut in Symboli interpolationem, Græci Schismatici impotenter debacchantur, Latinosque illius auctores in Sacræ Synodi Ephesinæ Decretum peccasse inclamant. Cum enim *Charisius* Philadelphiæ Presbyter Nestorianam quamdam Fidei Expositionem ad Ephesinos Patres detulisset, ea perlecta, & diris devota, sancivere: *Alteram Fidem nemini licere proferre, vel conscribere, aut componere, præter eam, quæ definita est a SS. Patribus Nicææ congregatis cum Sancto Spiritu. Qui autem ausi fuerint aut componere Fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, sive ex Judaismo, sive ex quacunque hæresi: quos quidem, si sunt Episcopi, aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos a Clericatu decrevit: Si vero Laici fuerint; anathemati subjici.* Eadem repetit Synodus Chalcedonensis in Definitione Fidei.

*Additio vocis, Filioque ad Symbolum. Conciliorum Decretis non repugnat.*

Idem confirmant ex Epistola *S. Cyrilli* ad Joannem Antiochenum, quæ incipit, *Lætentur Cœli*, & Con-

fessionem Fidei Orientalium continet. *Nullo autem modo patimur*, inquit, *ut ab aliquo Fides illa, sive Fidei Symbolum concutiatur, quod a Sanctis quondam Patribus Nicœnis editum est. Neque enim aut nobis, aut ulli omnino alteri, vel unam voculam ibi positam immutare, aut unam etiam Syllabam prœterire permittimus: memores ejus, qui dixit:* „ Ne transferas terminos anti- „ quos, quos posuerunt Patres tui. *Non enim ipsi locuti sunt, sed ipse Spiritus Dei, ac Patris; qui procedit, quidem ex ipso, non est tamen secundum essentiæ rationem alienus a Filio.*

Id rursus confirmant ex Synodo Chalcedonensi, quæ Nicænum, & Constantinopolitanum Symbolum sufficere asserit, nec alias voces ad expositionem Fidei censet addendas Symbolo. „ Sufficeret quidem, *inquit*, ad „ plenam cognitionem, & confirmationem pietatis hoc „ sapiens & salutare divinæ gratiæ Symbolum: de Pa- „ tre enim, & Filio, & Spiritu sancto perfectionem „ docet, ac Domini nostri inhumanationem fideliter ac- „ cipientibus repræsentat. Sed quoniam hi, qui verita- „ tis reprobare prædicationem conantur, per proprias „ hæreses novas voces genuerunt: alii quidem Myste- „ rium Dispensationis Domini, quæ propter nos facta „ est, corrumpere præsumentes, & vocem θεοτόκος de „ Virgine dici denegantes, alii autem confusionem, & „ mixtionem introducentes, &c. Propter hoc illis om- „ nem machinationem contra veritatem volens claude- „ re sancta, magna, & Oecumenica Synodus, prædi- „ cationem hanc ab initio immobilem docens, decre- „ vit ante omnia, Fidem integram, & intemeratam „ permanere trecentorum decem & octo SS. Patrum, „ & confirmat doctrinam, quæ de Substantia Spiritus „ sancti a Patribus centum quinquaginta postea congre- „ gatis in Regia Civitate, tradita est propter illos, qui „ Spiritui sancto repugnabant; quam illi omnibus no- „ tam fecerunt, non quasi aliquid deesset prioribus, „ adjicientes; sed suum de Spiritu sancto intellectum

„ con-

„ contra illos, qui dominationem ejus respuere tenta„ verunt, Scripturarum testimoniis declarantes, &c.

Ne vero quis respondeat, prohiberi additionem, quæ sit contraria Symbolo, non quæ ejus expositio sit; Objiciunt Gesta Synodi Chalcedonensis, Actione II ubi cum Judices expositionem Fidei postulassent a Patribus, non quidem Symbolis Nicæno, & Constantinopolitano repugnantem, sed consentaneam: Reverendissimi Episcopi clamaverunt: *Expositionem alteram nullus facit. Neque tentamur, neque audemus exponere. Docuerunt enim Patres, & in scriptis custodiuntur, quæ eis sunt exposita, & citra ea dicere non possumus.* Et infra: *Ista omnes dicimus: Sufficiunt, quæ exposita sunt: alteram expositionem non licet fieri.* Rationem adducunt inferius: *In scriptis expositionem non facimus. Regula est, quæ prædicat sufficere, quæ sunt exposita. Regula vult aliam expositionem non fieri. Ea, quæ sunt Patrum, teneantur.*

Id rursus confirmant ex Epistola *Vigilii* Romani Pontificis, ad *Eutychium* Patriarcham Constantinopolitanum, qua se Synodum Chalcedonensem suscipere profitetur, quæ anathemate confixit eos, qui *aliud præter Symbolum* Nicænum a Patribus Constantinopolitanæ Synodi Oecumenicæ II. explicatum *præsumunt docere, aut exponere, aut tradere sanctis Ecclesiis Dei.*

Idem præterea confirmant ex Epistola *Agathonis* Romani Pontificis ad Imperatores, lecta, & recepta in VI. Synodo Actione VI. quæ sic habet: *Quæ regulariter a Sanctis, atque Apostolicis Prædecessoribus, & venerabilibus quinque Conciliis definita sunt, cum simplicitate cordis, & sine ambiguitate a Patribus traditæ Fidei conservamus: unum, ac præcipuum bonum habere semper optantes, atque studentes, ut nihil de iis, quæ regulariter definita sunt, minuatur, nihil muta-*

 *tur,*

*tur, vel augeatur; sed eadem & verbis, & sensibus illibate custodiantur.*

Idem demum confirmant ex Synodo VII. post Fidei Definitionem exclamante: *Nos leges patrum custodimus. Nos eos, qui addunt quid, vel adimunt, anathematizamus.* His momentis Latinos impugnabat *Marcus Ephesius* Sessione V. Florentinæ Synodi, habita Ferrariæ.

Respondit *Andreas* Rhodius Antistes; causam agens Ecclesiæ Latinæ, Sessione VI. *Illius* vocis, *Filioque*, positionem in Symbolo non esse proprie additionem, sed explanationem, & declarationem, nulla enim expositio, seu declaratio alicujus scientiæ, vel disciplinæ dicenda est additio; sed vox illa, *Filioque*, continetur in altera voce, scilicet, *ex Patre*, cum sit explicatio illius: non est ergo additio. Quod vero expositio non sit additio, sic probat: Omnis additio fit extrinsecus. Expositio vero non fit extrinsecus, sed ex eis, quæ in textu jacent. Quoties igitur fit explicatio alicujus, quod in præjacente contineatur, non est additio. Si enim omnis explicatio esset additio, consequens esset, ad sacram Scripturam multas factas fuisse additiones. Patres namque Nicæni Symbolo suo Scripturam exposuere, inserendo vocem *Consubstantialis*, & Patres secundæ Synodi Nicænum explicuere Symbolum, cui tamen ipsos aliquid addidisse negat *Gregorius Nazianzenus* in Epistola ad *Cledonium*: *Nos* inquit, *Fidei, quam SS. Patres Nicæam convenientes exposuere ad improbandam Arianam hæresim, nihil unquam aut prætulimus, aut præferre possumus: sed illam tenemus, ac tenebimus fidem, dilucidius explicantes, quod de Spiritu sancto minus declaratum est: nondum enim mota erat hæc quæstio.* Ostendit subinde, qui explicuerint Constantinopolitani Patres in Nicæno Symbolo. In illo scilicet non dicebatur; *Visibilium omnium, & invisibilium*: nec illud, *Deum* ve-

*verum de Deo vero*, nec, *Spiritum sanctum Dominum, vivificantem.* Et tamen secundæ Synodi Patres, positis illis vocibus, nihil se addidisse arbitrati sunt. Præterea, nulla est Synodus, quæ non hoc modo aliquid adjecerit. Ita Synodus Chalcedonensis, loco ejus, quod in Nicæno habetur, *Natum ex Patre*, dixit: *Consubstantialem Patri secundum Deitatem, & Consubstantialem nobis secundum humanitatem*, contra hæresim Eutychetis. Tertio, ipse *Marcus Ephesius* ad interrogationem, cur Patres Ephesinæ Synodi non meminerint Symboli Constantinopolitani, sed Nicæni tantum, rationem assignaverat: Quod unum sint illa, nec inter ea sit ulla diversitas: & tamen multa verba in Symbolo Constantinopolitano posita sunt, quæ in Nicæno non habentur; positio igitur aliquarum vocum in symbolo explicandæ Fidei causa, non est proprie additio. Quod vero vox illa, *Ex Filio* sit mera expositio illius, *Ex Patre*, cum dicitur Spiritus sanctus ex Patre, Filioque procedens, probat *Andreas Rhodius* testimoniis Patrum Græcorum: ex quibus colligit, hanc vocem, *Filioque*, non esse additamentum, sed interpretamentum. Porro licitam esse novarum vocum adjectionem ad Symbolum, si necessitas postulet, probat ex eo, quod una sit Ecclesiæ ab initio usque ad finem sæculorum Auctoritas, cum itaque olim Ecclesiæ licuerit novas voces addere Symbolo; Fidei explicandæ, & contra hæreticos tuendæ gratia, id & postea licuit, & modo licet, licebitque perpetuo. Alioquin magnum Christianæ rei damnum impenderet. *Exorientibus enim quovis tempore multis ac diversis hæresibus; necesse est Ecclesiam illis obsistere prædicatione, & argumentis &c.* Addit denique, adjectionem vocum, quarum sit idem sensus, non esse *alteram Fidem*: adeoque non esse prohibitam a Synodo Ephesina. Sessione vero VII. idem Præsul respondit, Ephesinos Patres vetuisse, ne aliquid Symbolo adderetur, quod attinet ad veritatem Fidei Christianæ, non vero quoad explanationem. Et quemadmodum

sententiarum facile veniretur. Id statuisse primo Ephesinos Patres, ut constat ex Epistola S. *Cyrilli* ad Acacium Melitinensem, in qua hæc habet: „ Sancta quippe, & Oecumenica Synodus, quæ Ephesi convenit, „ necessario providit, non oportere aliam fidei expositionem in Ecclesias Dei inferri, præter eam, „ quæ jam extabat; quam Beatissimi Patres nostri „ in sancto Spiritu locuti definiverunt. „ Ex quibus observat *Bessario*, Synodum Ephesinam id primum inhibuisse, quod significat vox illa, *Providit*. Secundo, id sanxisse necessario. Tertio, prohibuisse alteram fidei expositionem, non alterius fidei expositionem. Quarto, id universo Ecclesiæ corpori interdictum: hoc enim sibi vult illud: *Non inferri in Ecclesias Dei.* Quibus observatis, ita colligit. Id primum prohibuit Ephesina Synodus: atqui contraria exponere dogmata jam olim vetitum erat. Itaque vel ipsa vocum additio ad Symbolum, explicationis gratia vetita est. Hanc vero legem universæ Ecclesiæ imposuere Patres, eamque religiose servarunt; vocem, *Deipara*, Symbolo non addentes, etsi necessaria esset ad *Nestorii* confodiendum errorem. Nec referre ait, quod clarissime in articulis de Filii divinitate, & incarnatione contineretur. Alia namque non ita perspicue in Symbolo contenta, novis emergentibus erroribus, Patres non addidere. Neque enim Ephesina ipsa Synodus unionem Verbi cum natura humana secundum hypostasim: neque duarum naturarum post unitionem inconfusarum confessionem Chalcedonensis: nec duarum voluntatum, & operationum in Christo prædicationem Sexta Synodus, addidere. Fidem quidem explicarunt contra Hæreticos, sed Symbolum intactum servarunt. Tandem contra id quod *Rhodius Præsul* dixerat, Hanc vocem, *Filioque*, virtute in illis verbis contineri, *Ex Patre procedit*, objicit *Bessario* non ideo fuisse addendam Symbolo. Omnia quippe sacra dogmata ex fontibus sacrarum Scripturarum haurimus, quæ sunt principia, & funda-

damenta nostræ fidei: nihil tamen est ad illas adjectum, nec adjici potest. Ex quo est consequens, sacro etiam Symbolo nihil esse addendum, quoniam in Ecclesia locum obtinet principii. Licet porro sit eadem semper auctoritas Ecclesiæ, tamen, inquit *Bessario*, antiquorum Decreta servari debent a posteris: alioquin adversus se ipsam pugnaret, seque ipsam destrueret Ecclesia.

Bessarionis confutationem aggressus est *Joannes Forolivienfis* Episcopus, Sessione X. Probandum primo sibi sumpsit, harum vocum, *ex Filio*, positionem in Symbolo, non esse proprie additamentum. Duplici medio id probavit, primo ex eo, quod Novum Testamentum virtute contineatur in veteri, secundo ex progressu successionis in expositione articulorum Fidei. Quoad primum, *S. Augustinum* laudat, lib. de Catechizandis rudibus, dicentem: *In veteri Testamento est occultatio Novi, in Novo Testamento est manifestatio Veteris.* Et *S. Gregorium* Homilia VI. in Ezechielem dicentem: *Rota in medio rotæ: Novum Testamentum in Veteri.* Si ergo secundum *S. Augustinum*, tanta Mysteriorum Novi Testamenti copia, eorumque prædicatio, non dicitur additio, quia in veteri Testamento continebatur: multominus eorum explicatio proprie additio dicenda est. Quoad secundum medium, ponit illud *S. Augustini* principium: *Tempora variata sunt, non fides.* In articulis tamen successionem extitisse observat aliquam, impliciti explicationem, & indeterminati determinationem. Id illustrat exemplo explicationis Fidei de humani generis per Christum reparatione: quæ obscurius Abrahæ revelata est Genesis 22. his verbis: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Deinde clarius Isaiæ revelata, & per ipsum exposita, Cap. 7. his verbis: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, &c.* Postea lucidius adhuc explicata B. Virgini ab Angelo, his verbis: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Ita in Articulo de Spiritu san-

gdunensis Concilii supra dedimus. Concilii Florentini verba in Definitione Fidei subjicimus. „ In nomine „ sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus san- „ cti (*inquit Eugenius*) hoc sacro universali approban- „ te Florentino Concilio, definimus, ut hæc Fidei ve- „ ritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, „ sicque omnes profiteantur, quod Spiritus sanctus ex „ Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, „ suumque esse subsistens, habet ex Patre simul, & Fi- „ lio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno „ Principio, & unica spiratione procedit; declarantes „ quod id, quod [illegible]i Doctores, & Patres dicunt: Ex „ Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad „ hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, „ Filium quoque esse secundum Græcos quidem cau- „ sam, secundum Latinos vero principium subsisten- „ tiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem. Et quoniam „ omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio „ suo, gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ip- „ sum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse „ Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æter- „ naliter genitus est.

## *ASSERTIO II.*

*Additio verborum illorum*, FILIOQUE, *ad Symbolum, jure facta est, nec Latini propterea violati Symboli rei dici possunt. Ratio igitur legitima hæc nequaquam fuit, cur Græci a Romanæ, & totius Occidentalis Ecclesiæ Communione deficerent.*

Revocanda sunt in memoriam, quæ de tempore hujus ad Symbolum factæ accessionis disseruimus Articulo III. Dissertationis 37. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi IV. Legitur (ut dicimus) in Concilio Toletano III. sub *Reccaredo* Rege, anno Christi quingentesimo octogesimo nono, in quo Symbolum Constan-

ſtantinopolitanum a Rege cum hac additione recitatur. In Concilio Toletano Quarto, anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo tertio legitur non quidem in Symbolo; ſed in expoſitione Fidei cap. 1. in Concilio Toletano Sexto legitur pariter, non in Symbolo, ſed cap. 1. quo explicatur doctrina Fidei. In Concilio Toletano VIII. ſub *Receſuinto* Rege, anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo tertio Symbolum recenſetur, prout in ſacris Miſſarum ſolemniis in Eccleſiis Hiſpaniæ recitari conſueverat, in eoque hæc habentur de Spiritu ſancto: *Credimus in Spiritum ſanctum, Dominum, vivificatorem, ex Patre, & Filio procedentem.* Legitur, & in Profeſſione Fidei edita a Patribus Concilii Toletani XI. In Symbolo recenſito a Patribus Concilii Toletani XII. anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo primo, & Concilii Toletani XIII. anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo tertio, & Toletani XV. anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo Octavo. Et XVII. anno ſexcenteſimo nonageſimo IV. In Concilio Forojulienſi ſub *Paulino* Patriarcha, habito anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo primo, in Symbolo Fidei hæc de Spiritu ſancto leguntur. *Qui ex Patre, Filioque procedit.* De additione illa Miſſi *Caroli Magni*, Bernarius, & Jeſſe, Epiſcopi, & Adalardus Corbejenſis Abbas, anno Chriſti octingenteſimo nono cum *Leone III.* Pontifice Maximo Romæ diſceptarunt. Qua ex Collatione ſuperius nonnulla recenſuimus, & in Diſſertatione laudata Sæculi Quarti. Quæſtio, & de Proceſſione Spiritus ſancti agitata fuerat in Synodo Aquisgranenſi eodem anno, quam *Joannes* quidam Hieroſolymitanus Monachus commoverat, teſte *Adone* Viennenſi in Chronico, cui & *Regino* Abbas ſuffragatur.

*Sanctum Henricum* Imperatorem auctorem fuiſſe Benedicto Octavo Pontifici Maximo, ut hæc verba, *Filioque* ad Symbolum adderet, illudque eo cum additamento juberet Romæ decantari, aſſerit *Ludovicus Maimbourg* in Hiſtoria Schismatis Græcorum, lib. 11. te-

*Ludovicus Maimbourg. refellitur.*

testemque laudat *Bernonem* Augiensem Abbatem in lib. de rebus ob Missam spectantibus. At de hac additione silet omnino Abbas, *Berno*, cujus hæc sunt verba cap. 11. „ Si ideo illum Angelicum Hymnum „ prohibemur in festivis diebus canere, eo, quod Ro-„ manorum Presbyteri non solent eum canere, possu-„ mus simili modo post Evangelium, Symbolum re-„ ticere. Quod Romani usque ad hæc tempora divæ „ memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo cecine-„ runt. Sed ab eodem interrogati, cur ita agerent, „ me coram assistente, audivi eos hujusmodi respon-„ sum reddere, videlicet: quod Romana Ecclesia non „ fuisset aliquando ulla hæreseos fæce infecta; sed se-„ cundum sancti Petri doctrinam in soliditate Catho-„ licæ Fidei permaneret inconcussa: & ideo magis his „ necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando „ frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerunt „ maculari. At Dominus Imperator non antea desiit, „ quam omnium consensu id Domino Benedicto Apo-„ stolico persuasit, ut ad publicam Missam illud de-„ cantarent. Sed utrum hanc consuetudinem servent „ adhuc, affirmare non possumus, quia certum non te-„ nemus. Non minus falsum est, quod ibi asserit *L. Maimbourg*, Benedictum VIII. in Synodo Romæ celebrata, additionem verborum, *Filioque*, ad Symbolum approbasse. Nulla enim Synodi istius, aut Decreti in Monumentis Ecclesiasticis mentio penitus occurrit, nec P. *Cossartius* Societatis Jesu Presbyter, qui cœptam a P. *Labbé* Conciliorum postremam Collectiorem studiose continuavit, ullam hujusmodi memorat Synodum. Laudat *L. Maimbourg* ad Marginem. *Hugonem Etherianum*, lib. 3. *de Hæresibus*, cap. 16. & Concilium Florentinum Sessione 7. Ferrariæ habita: Sed *Hugo Etherianus* ait, Antiquioris Romæ Antistitem Symbolo hanc dictionem, *Filioque*, apposuisse *Sanctorum plurium Episcoporum, & scientissimorum Cardinalium consensu habito.* Pontificem vero non nominant, qui hujus auctor fuerit; nec ullo modo indicat fuisse *Benedictum*

*Romana Ecclesia in soliditate Catholica Fidei permanet inconcussa.*

VIII.

*VIII.* aut quo tempore id factum sit. Nec etiam quo auctore Pontifice, & quando hæ voces ad Symbolum additæ sint, vel leviter innuit. En ejus verba: *Hac ratione coacta fuit Romana Ecclesia, cum magnum videret impendere periculum: jam enim canebatur in Galliis, & Hispaniis. Quare placuit Summo Pontifici, cum multorum Occidentalium Patrum consensu, qui nec dignitate tenues, nec modici erant numero, illud explicare, quod dicimus, & sicut in Symbolo canimus. Nec vero existimavit Romana Ecclesia rem agere, quæ dedeceret.* Et inferius: *Unde, Patres optimi, sequitur, quod in Symbolo Romana dicit Ecclesia, neque additamentum esse, neque abrogatum, & justam explicationis illius causam fuisse, Fidei veritatem, rei necessitatem, Romani Pontificis auctoritatem, tot, tantorumque Patrum collectam Societatem.*

*Additio vocis, Filioque ad Symbolum. Conciliorum Decretis non repugnat.*

Hanc in additionem, quocunque tempore facta sit, velut in Symboli interpolationem, Græci Schismatici impotenter debacchantur, Latinosque illius auctores in Sacræ Synodi Ephesinæ Decretum peccasse inclamant. Cum enim *Charisius* Philadelphiæ Presbyter Nestorianam quamdam Fidei Expositionem ad Ephesinos Patres detulisset, ea perlecta, & diris devota, sancivere: *Alteram Fidem nemini licere proferre, vel conscribere, aut componere, præter eam, quæ definita est a SS. Patribus Nicææ congregatis cum Sancto Spiritu. Qui autem ausi fuerint aut componere Fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, sive ex Judaismo, sive ex quacunque hæresi: quos quidem, si sunt Episcopi, aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos a Clericatu decrevit: Si vero Laici fuerint; anathemati subjici.* Eadem repetit Synodus Chalcedonensis in Definitione Fidei.

Idem confirmant ex Epistola *S. Cyrilli* ad Joannem Antiochenum, quæ incipit, *Lætentur Cœli*, & Con-

fessionem Fidei Orientalium continet. *Nullo autem modo patimur*, inquit, *ut ab aliquo Fides illa, sive Fidei Symbolum concutiatur, quod a Sanctis quondam Patribus Nicænis editum est. Neque enim aut nobis, aut ulli omnino alteri, vel unam voculam ibi positam immutare, aut unam etiam Syllabam præterire permittimus: memores ejus, qui dixit:* „ Ne transferas terminos anti- „ quos, quos posuerunt Patres tui. *Non enim ipsi locuti sunt, sed ipse Spiritus Dei, ac Patris; qui procedit, quidem ex ipso, non est tamen secundum essentiæ rationem alienus a Filio.*

Id rursus confirmant ex Synodo Chalcedonensi, quæ Nicænum, & Constantinopolitanum Symbolum sufficere asserit, nec alias voces ad expositionem Fidei censet addendas Symbolo. „ Sufficeret quidem, *inquit*, ad „ plenam cognitionem, & confirmationem pietatis hoc „ sapiens & salutare divinæ gratiæ Symbolum: de Pa- „ tre enim, & Filio, & Spiritu sancto perfectionem „ docet, ac Domini nostri inhumanationem fideliter ac- „ cipientibus repræsentat. Sed quoniam hi, qui verita- „ tis reprobare prædicationem conantur, per proprias „ hæreses novas voces genuerunt: alii quidem Myste- „ rium Dispensationis Domini, quæ propter nos facta „ est, corrumpere præsumentes, & vocem θεοτόκος de „ Virgine dici denegantes, alii autem confusionem, & „ mixtionem introducentes, &c. Propter hoc illis om- „ nem machinationem contra veritatem volens claude- „ re sancta, magna, & Oecumenica Synodus, prædi- „ cationem hanc ab initio immobilem docens, decre- „ vit ante omnia, Fidem integram, & intemeratam „ permanere trecentorum decem & octo SS. Patrum, „ & confirmat doctrinam, quæ de Substantia Spiritus „ sancti a Patribus centum quinquaginta postea congre- „ gatis in Regia Civitate, tradita est propter illos, qui „ Spiritui sancto repugnabant; quam illi omnibus no- „ tam fecerunt, non quasi aliquid deesset prioribus, „ adjicientes; sed suum de Spiritu sancto intellectum

„ con-

„ contra illos, qui dominationem ejus respuere tenta-
„ verunt, Scripturarum testimoniis declarantes, &c.

Ne vero quis respondeat, prohiberi additionem, quæ sit contraria Symbolo, non quæ ejus expositio sit; Objiciunt Gesta Synodi Chalcedonensis, Actione II ubi cum Judices expositionem Fidei postulassent a Patribus, non quidem Symbolis Nicæno, & Constantinopolitano repugnantem, sed consentaneam: Reverendissimi Episcopi clamaverunt: *Expositionem alteram nullus facit. Neque tentamur, neque audemus exponere. De[illegible]runt enim Patres, & in scriptis custodiuntur, quæ [illegible] eis sunt exposita, & citra ea dicere non possumus.* Et infra: *Ista omnes dicimus: Sufficiunt, quæ exposita sunt: alteram expositionem non licet fieri.* Rationem adducunt inferius: *In scriptis expositionem non facimus. Regula est, quæ prædicat sufficere, quæ sunt exposita. Regula vult aliam expositionem non fieri. Ea, quæ sunt Patrum, teneantur.*

Id rursus confirmant ex Epistola *Vigilii* Romani Pontificis, ad *Eutychium* Patriarcham Constantinopolitanum, qua se Synodum Chalcedonensem suscipere profitetur, quæ anathemate confixit eos, qui *aliud præter Symbolum* Nicænum a Patribus Constantinopolitanæ Synodi Oecumenicæ II. explicatum *præsumunt docere, aut exponere, aut tradere sanctis Ecclesiis Dei.*

Idem præterea confirmant ex Epistola *Agathonis* Romani Pontificis ad Imperatores, lecta, & recepta in VI. Synodo Actione VI. quæ sic habet: *Quæ regulariter a Sanctis, atque Apostolicis Prædecessoribus, & venerabilibus quinque Conciliis definita sunt, cum simplicitate cordis, & sine ambiguitate a Patribus traditæ Fidei conservamus: unum, ac præcipuum bonum habere semper optantes, atque studentes, ut nihil de iis, quæ regulariter definita sunt, minuatur, nihil mutetur,*

*tur, vel augeatur; ſed eadem & verbis, & ſenſibus illibate cuſtodiantur.*

Idem demum confirmant ex Synodo VII. poſt Fidei Definitionem exclamante: *Nos leges patrum cuſtodimus. Nos eos, qui addunt quid, vel adimunt, anathematizamus.* His momentis Latinos impugnabat *Marcus Epheſius* Seſſione V. Florentinæ Synodi, habita Ferrariæ.

Reſpondit *Andreas* Rhodius Antiſtes; cauſam agens Eccleſiæ Latinæ, Seſſione VI. Illius vocis, *Filioque* poſitionem in Symbolo non eſſe proprie additionem, ſed explanationem, & declarationem, nulla enim expoſitio, ſeu declaratio alicujus ſcientiæ, vel diſciplinæ dicenda eſt additio; ſed vox illa, *Filioque*, continetur in altera voce, ſcilicet, *ex Patre*, cum ſit explicatio illius: non eſt ergo additio. Quod vero expoſitio non ſit additio, ſic probat: Omnis additio fit extrinſecus. Expoſitio vero non fit extrinſecus, ſed ex eis, quæ in textu jacent. Quoties igitur fit explicatio alicujus, quod in præjacente contineatur, non eſt additio. Si enim omnis explicatio eſſet additio, conſequens eſſet, ad ſacram Scripturam multas factas fuiſſe additiones. Patres namque Nicæni Symbolo ſuo Scripturam expoſuere, inſerendo vocem *Conſubſtantialis*, & Patres ſecundæ Synodi Nicænum explicuere Symbolum, cui tamen ipſos aliquid addidiſſe negat *Gregorius Nazianzenus* in Epiſtola ad *Cledonium*: *Nos* inquit, *Fidei, quam SS. Patres Nicæam convenientes expoſuere ad improbandam Arianam hæreſim, nihil unquam aut prætulimus, aut præferre poſſumus: ſed illam tenemus, ac tenebimus fidem, dilucidius explicantes, quod de Spiritu ſancto minus declaratum eſt: nondum enim mota erat hæc quæſtio.* Oſtendit ſubinde, qui explicuerint Conſtantinopolitani Patres in Nicæno Symbolo. In illo ſcilicet non dicebatur; *Viſibilium omnium, & inviſibilium:* nec illud, *Deum*

*verum de Deo vero*, nec, *Spiritum sanctum Dominum, vivificantem*. Et tamen secundæ Synodi Patres, positis illis vocibus, nihil se addidisse arbitrati sunt. Præterea, nulla est Synodus, quæ non hoc modo aliquid adjecerit. Ita Synodus Chalcedonensis, loco ejus, quod in Nicæno habetur, *Natum ex Patre*, dixit: *Consubstantialem Patri secundum Deitatem, & Consubstantialem nobis secundum humanitatem*, contra hæresim Eutychetis. Tertio, ipse *Marcus Ephesius* ad interrogationem, cur Patres Ephesinæ Synodi non meminerint Symboli Constantinopolitani, sed Nicæni tantum, rationem assignaverat: Quod unum sint illa, nec inter ea sit ulla diversitas: & tamen multa verba in Symbolo Constantinopolitano posita sunt, quæ in Nicæno non habentur; positio igitur aliquarum vocum in symbolo explicandæ Fidei causa, non est proprie additio. Quod vero vox illa, *Ex Filio* sit mera expositio illius, *Ex Patre*, cum dicitur Spiritus sanctus ex Patre, Filioque procedens, probat *Andreas Rhodius* testimoniis Patrum Græcorum: ex quibus colligit, hanc vocem, *Filioque*, non esse additamentum, sed interpretamentum. Porro licitam esse novarum vocum adjectionem ad Symbolum, si necessitas postulet, probat ex eo, quod una sit Ecclesiæ ab initio usque ad finem sæculorum Auctoritas, cum itaque olim Ecclesiæ licuerit novas voces addere Symbolo; Fidei explicandæ, & contra hæreticos tuendæ gratia, id & postea licuit, & modo licet, licebitque perpetuo. Alioquin magnum Christianæ rei damnum impenderet. *Exorientibus enim quovis tempore multis ac diversis hæresibus; necesse est Ecclesiam illis obsistere prædicatione, & argumentis &c.* Addit denique, adjectionem vocum, quarum sit idem sensus, non esse *alteram Fidem*: adeoque non esse prohibitam a Synodo Ephesina. Sessione vero VII. idem Præsul respondit, Ephesinos Patres vetuisse, ne aliquid Symbolo adderetur, quod attinet ad veritatem Fidei Christianæ, non vero quoad explanationem. Et quemadmodum

in unaquaque scientia, omnia, quæ ejus scientiæ, vel artis sunt, virtute in ejusdem principiis continentur; ita & Symbolum illud implicite continet doctrinam omnem, & Fidem Christianorum, non explicite. Quando enim dicitur: *Et in Filium, &c. ex Patre natum*; hoc facit contra Arium. Cum dicitur: *In Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui cum Patre & Filio simul adoratur*, contra Macedonium, & Eunomium: Cum dicitur, *Filius incarnatus, & natus*, contra Nestorium: Et si quis percurrendo inquirat, nullam inveniet hæresim natam, vel nascituram, cujus in illo Symbolo virtute non insit eversio. Quoniam igitur sancta Nicæna Synodus divinum hoc edidit Symbolum, veluti Fidei fundamentum, necesse erat, ut nulla mutatione affici posset: sicut in scientiis Conclusiones mutantur, Principia vero nusquam. Quod ergo additum est Symbolo, *Spiritum sanctum ex Filio procedere*, cum virtute contineatur in illa sententia, *Qui ex Patre procedit*, quam Symbolum Constantinopolitanum sensu a Nicæno nullatenus diversum (ut Græci fatentur) explicationis gratia habet, ejus adjectione corruptum, vel mutatum Nicænum Symbolum dici non potest. Sane Evangelium perfectam continet Fidei doctrinam, & tamen Græci, Latinique Patres illud multis modis explanarunt. Symbolum Apostolorum omnia credenda complectitur: Et tamen Synodi Oecumenicæ, & Patres illud explicarunt. Neque igitur ab Ephesino, neque a Chalcedonensi Concilio vetita est expositio Symboli, urgente necessitate, sed alterius duntaxat, sive contrariæ Fidei editio. Unde Synodus Chalcedonensis ait: *Sufficeret quidem ad plenam cognitionem, & confirmationem pietatis, &c.* Non ait, *Sufficit.* Ratio est; quia si non emergerent hæreses, proculdubio sufficeret Symbolum Nicænum, sed quoniam variæ exortæ sunt hæreses, manente eadem fide, & eodem Symbolo necesse fuit alias, atque alias pro tempore fieri expositiones. Symbolum ergo perfectissimum est, & sufficit quoad Fidem, nulloque indiget additamento: Non

suf-

ſufficit quoad explicationem, propter hæreſes emergentes, quas non præviderunt Nicæni Patres, cum futura non noſſent, utpote homines, non Dii. Addit, Decreta prohibentia additionem condita fuiſſe poſt recenſitum Symbolum, editasque Fidei Definitiones; adeoque ad illas æque extendi. Quamobrem ſicut in dies, novis emergentibus hæreſibus, novæ Definitiones fieri poſſunt, ita, & novæ Symboli explicationes.

Ad id vero, quod objiciebant Græci, Patres vocem *Deipara*, non addidiſſe Symbolo, ſed in Definitionibus Fidei duntaxat expreſſiſſe; reſpondet *Rhodius Præſul;* non fuiſſe neceſſarium, ut Symbolo adderetur, quia manifeſte ſatis innoteſcebat ex Symbolo, B. Virginem eſſe Deiparam. In eo namque profitetur Filium ex Patre natum, & conſubſtantialem Patri: ex quo evidens eſt, Deum eſſe æque ac Patrem: & rurſus, incarnatum, & hominem factum; ex quo ſatis compertum eſt B. Virginem Deum, & hominem peperiſſe. Eadem præterea vis eſt Definitionum Fidei, ac Symboli. Igitur vox, *Deipara*, æque poterat addi Symbolo ab Epheſinis Patribus, ſicut addita definitioni eſt: Et ſi addidiſſent, vel ipſi, vel Patres Conciliorum ſequentium, an ideo anathemati fuiſſent obnoxii? (inquit Julianus Cardinalis.

Ad hæc Rhodii Præſulis, ſive Latinorum omnium, quorum partes tuebatur, momenta, repoſuit *Beſſario* Nicænus Archiepiſcopus, ſemper quidem licuiſſe explicationes Fidei tradere, non autem eas inſerere Scripturæ ſacræ, vel Symbolo. Uſque ad ſecundum Concilium Oecumenicum fas fuiſſe Patribus Symbolum non nullarum vocum additione explicare: ſed cum ea facultate quidam in Religionis damnum abuterentur, Symbolaque pro arbitrio fabricantes, nova ipſis, & perverſa dogmata infererent, ac in populos ſpargerent; Epheſinæ Synodi Patres hanc ſuo Decreto ademiſſe libertatem: Ne ex mutatione vocum ad mutationem

 ſen-

sententiarum facile veniretur. Id statuisse primo Ephesinos Patres, ut constat ex Epistola *S. Cyrilli* ad Acacium Melitinensem, in qua hæc habet: „ Sancta quip„ pe, & Oecumenica Synodus, quæ Ephesi convenit, „ necessario providit, non opportere aliam fidei ex„ positionem in Ecclesias Dei inferri, præter eam, „ quæ jam extabat; quam Beatissimi Patres nostri „ in sancto Spiritu locuti definiverunt. „ Ex quibus observat *Bessario*, Synodum Ephesinam id primum inhibuisse, quod significat vox illa, *Providit*. Secundo, id sanxisse necessario. Tertio, prohibuisse alteram fidei expositionem, non alterius fidei expositionem. Quarto, id universo Ecclesiæ corpori interdictum: hoc enim sibi vult illud: *Non inferri in Ecclesias Dei*. Quibus observatis, ita colligit. Id primum prohibuit Ephesina Synodus: atqui contraria exponere dogmata jam olim vetitum erat. Itaque vel ipsa vocum additio ad Symbolum, explicationis gratia vetita est. Hanc vero legem universæ Ecclesiæ imposuere Patres, eamque religiose servarunt; vocem, *Deipara*, Symbolo non addentes, etsi necessaria esset ad *Nestorii* confodiendum errorem. Neo referre ait, quod clarissime in articulis de Filii divinitate, & incarnatione contineretur. Alia namque non ita perspicue in Symbolo contenta, novis emergentibus erroribus, Patres non addidere. Neque enim Ephesina ipsa Synodus unionem Verbi cum natura humana secundum hypostasim: neque duarum naturarum post unitionem inconfusarum confessionem Chalcedonensis: nec duarum voluntatum, & operationum in Christo prædicationem Sexta Synodus, addidere. Fidem quidem explicarunt contra Hæreticos. sed Symbolum intactum servarunt. Tandem contra id quod *Rhodius Præsul* dixerat, Hanc vocem, *Filioque*, virtute in illis verbis contineri, *Ex Patre procedit*, objicit *Bessario* non ideo fuisse addendam Symbolo. Omnia quippe sacra dogmata ex fontibus sacrarum Scripturarum haurimus, quæ sunt principia, & fun-

da-

damenta nostræ fidei: nihil tamen est ad illas adjectum, nec adjici potest. Ex quo est consequens, sacro etiam Symbolo nihil esse addendum, quoniam in Ecclesia locum obtinet principii. Licet porro sit eadem semper auctoritas Ecclesiæ, tamen, inquit *Bessario*, antiquorum Decreta servari debent a posteris: alioquin adversus se ipsam pugnaret, seque ipsam destrueret Ecclesia.

Bessarionis confutationem aggressus est *Joannes Forolivienfis* Episcopus, Sessione X. Probandum primo sibi sumpsit, harum vocum, *ex Filio*, positionem in Symbolo, non esse proprie additamentum. Duplici medio id probavit, primo ex eo, quod Novum Testamentum virtute contineatur in veteri, secundo ex progressu successionis in expositione articulorum Fidei. Quoad primum, *S. Augustinum* laudat, lib. de Catechizandis rudibus, dicentem: *In veteri Testamento est occultatio Novi, in Novo Testamento est manifestatio Veteris.* Et *S. Gregorium* Homilia VI. in Ezechielem dicentem: *Rota in medio rotæ: Novum Testamentum in Veteri.* Si ergo secundum *S. Augustinum*, tanta Mysteriorum Novi Testamenti copia, eorumque prædicatio, non dicitur additio, quia in veteri Testamento continebatur: multominus eorum explicatio proprie additio dicenda est. Quoad secundum medium, ponit illud *S. Augustini* principium: *Tempora variata sunt, non fides.* In articulis tamen successionem extitisse observat aliquam, impliciti explicationem, & indeterminati determinationem. Id illustrat exemplo explicationis Fidei de humani generis per Christum reparatione: quæ obscurius Abrahæ revelata est Genesis 22. his verbis: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Deinde clarius Isaiæ revelata, & per ipsum exposita, Cap. 7. his verbis: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, &c.* Postea lucidius adhuc explicata B. Virgini ab Angelo, his verbis: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Ita in Articulo de Spiritu san-

cto factum est. Apostolicis temporibus, Ecclesia suam de Spiritu Sancto Fidem his verbis profitebatur: *Credo in Spiritum sanctum.* Quod vero postmodum in Synodo protulit, *Qui ex Patre procedit*; non fuit articuli novi additio, sed clarior ejusdem explicatio: ita cum postea dictum est, *Ex Filio*, non conditus, additusque est novus articulus, sed idem magis explicatus. Hujusmodi porro, si ita vocanda est additio, non est prohibita. Nam (ut ex *S. Bonaventura* observat *Bessario*) triplicis generis additio est. Una cum id, quod adjicitur, contrarium est; altera, cum diversum est: tertia, quando consonum est. Prima est additio erroris, & est Hæreticorum: ut si quis diceret Patrem genitum, Filium non genitum, Spiritum sanctum a nullo procedentem. Secunda temerariorum est: insignis enim temeritatis argumentum est, in Fidei, & Sacræ Scripturæ dogmatibus diversum ab eo loquendi modum usurpare, qui in Ecclesia solemnis est: ut si quis Patrem dixerit Geometram, Filium Astronomum, Spiritum Sanctum Arithmeticum. Nam, etsi ita loquens non multum a veritate discrepet, cum unaquæque divina persona omnia possit, omnia sciat, quia tamen hic loquendi modus a modo loquendi Scripturæ sacræ, & Sanctorum valde alienus est, absque temeritatis nota non potest usurpari. Tertia Catholicorum est, ut si dicam Patrem omnipotentem, æternum; Filium consubstantialem, coæternum; Spiritum sanctum procedentem, spiratum; additamentum hoc pium, & Catholicum est. Spectat enim ad doctrinam fidei, quandoquidem explicat, quod implicitum est. Priores additiones duæ, quibus contrarium quid additur, vel diversum, gravissimæ pœnæ comminatione prohibitæ sunt: (Apocalypsis ultimo) *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Tertii vero generis additio commendatur potius quam vetetur, ad eamque referri possunt hæc Salvatoris verba, Lucæ 10. *Quodcunque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi.* At vox illa, *Ex Filio*,

nec

nec est contraria, nec diversa, sed conveniens, & consona symbolo Fidei. Unde sicut Processionem Spiritus sancti ex Patre symbolo inserentes Patres non violarunt symbolum Apostolicum: ita Ecclesia Processionem ejus ex Filio declarans, & in symbolo exponens, minime violavit symbolum Nicænum. His præmissis, addit Forolivienfis Præsul, Legem Ecclesiasticam intelligendam esse ad mentem eorum, a quibus lata est: Ephesinos vero Patres solam adjectionem contrariam fidei Patrum prohibuisse. Id ex actis Concilii Ephesini probat. Actione enim prima Episcopi dixere, *Recitetur expositio Nicænorum Patrum, ut cum ea sermones de fide conferamus; & suscipiantur quidem, quæ cum illis conveniunt; quæ vero discrepant, rejiciantur.* Ex quo liquet Synodum illud velle, ut fides consona Patribus non prohibeatur, sed quæ ab illis dissentit. Unde patet, quid verba illa sibi velint: *Nulli liceat proferre alteram fidem præter eam, quæ Nicææ constituta est*, hoc est, fidem discrepantem, & contrariam. Post hæc lectum est symbolum Nicænum. Lecta est & S. *Cyrilli* Epistola ad *Nestorium*; de qua interrogati Patres dixere, eam cum Nicæno symbolo convenire. Deinde lecta est Epistola *Nestorii* ad *Cyrillum*, quam a Fide Nicæna penitus alienam judicarunt. Ex his constat, Ephesinos Patres, cum prohibuere ne fides altera præter Nicænam proferretur, fidem intellexisse contrariam, pugnantem, diversam, peregrinam, alienam a recta fide: non alteram expositionem fidei consentientem.

Id egregie confirmat *Julianus Cardinalis* Sessione II. occasionem exponens, quæ Patres Ephesinos impulit ad illud edendum Decretum. Scilicet recitata est a *Charisio* Presbytero expositio fidei *Anastasii*, & *Photii* discipulorum *Nestorii*, a quibus missus erat *Jacobus* quidam ad prædicandam *Nestorii* hæresim; qui etiam multos seduxerat, & aliud symbolum infidelitatis potius, quam fidei tradiderat. Inter alia vero con-

conquestus est *Charisius*, fidem suam fuisse *Jacobi*, & Symmistarum criminationibus impetitam. Propterea fidei suæ expositionem præmisit: tum *Nestorii* symbolum subdidit. Expositio autem fidei a *Charisio* facta, neque Nicænum Symbolum erat, neque Constantinopolitanum. Neque enim in ea legebatur: *Eos autem, qui dicunt: Erat aliquando, quando non erat, &c.* Quod in Nicæno habetur. Legebatur vero: *Et in Spiritum sanctum consubstantialem Patri, & Filio:* quod neque in Nicæno, neque in Constantinopolitano extat. Audita *Charisii* fide, & Nestorianorum Symbolo, Synodus ita sanxit: *Nemini liceat proferre, aut docere alteram fidem.* Postmodum iis damnatis, qui Nestorianum symbolum tenerent, nullam facit *Charisii* mentionem, nec illius Confessionem improbat. Porro, si Nicænum duntaxat symbolum, atque Constantinopolitanum approbasset, non autem, & expositiones fidei illis consonas, *Charisii* quoque Confessionem rejecisset.

Idem confirmat *Julianus Cardinalis* ex Chalcedonensis Concilii Gestis. *Eutyches* in Synodo Constantinopolitana *Flaviano* Præside damnatus, in Ephesina II. Pseudo-Synodo causam suam agens, & ab hæresi se purgare satagens, Nicænum Symbolum professus est. Quo recitato, dixit: „ Hæc est fides Patrum, & in „ hac volo vivere, & mori: sed quia Fides Nicæna „ confirmata est per Ephesinam Synodum; ea vero „ prohibuit aliam proferri Fidem præter illam primam, „ decrevitque, ut nihil adderetur, nihil minueretur; „ propterea dicebat: Ego rectam Fidem teneo; Fla„ vianus autem non tenet rectam Fidem, cum afferat „ Christum ex duabus, & in duabus naturis; & in Sym„ bolo Nicæno non dicatur Christus habere duas na„ turas, vel esse ex duabus naturis. „ Quo audito, *Eusebius* Dorylei Episcopus exclamavit: *Mentitus est, nullus est Canon, qui hoc præcipiat.* Respondit Dioscorus: *Quomodo nullus est Canon? Apud nos duo sunt*

*Codi-*

*Codices*, & *in omnibus legitur. Non licere quidquam addi Nyceno Symbolo*. Mox *Dioſcorus* contra *Flavianum* ſententiam tulit, ipſum inter alia reum agens violati Decreti Synodi Epheſinæ, quo ſancitum eſt, ut Epiſcopus, vel Clericus proferens aliam Fidem, aut addens, ſive detrahens Epiſcopatu deponatur. Et omnes Epiſcopi prædatoriæ Synodi conclamarunt; „ Oſtenderunt ſeſe ab omni Sacerdotali dignitate alienos Flavianus, & Euſebius, qui aggreſſi ſunt addere, vel demere de ſancta Fide per Nicænam Synodum expoſita, & per celebratam Epheſi comprobata. Quapropter juſtum eſt addentes, vel detrahentes alienos eſſe Epiſcopos ab Epiſcopatu, & Clericos a Clero. „ Cum vero hæc relegerentur in Synodo Chalcedonenſi, dixerunt omnes: *Anathema Dioſcoro*, *qui male judicavit. Hac hora damnetur Dioſcorus*. Tum Synodus omnia contra *Flavianum*, in Prædatoria Synodo geſta reſcidit, nihilque ab eo commiſſum cenſuit contra Nicænam, aut Epheſinam Synodum: & verba illa, quibus dicitur Chriſtus *ex duabus*, & *in duabus naturis*, etſi expreſſe non habeantur in Symbolo Nicæno, non eſſe contraria veritati: quia ex eo derivantur. Non eſt igitur increpatione dignus, qui addit, vel explicat dum veritati, fideique Catholicæ conſona proferat. Decretum itaque Concilii Epheſini de iis intelligendum eſt, qui fidem contrariam tenent, aut a vera diverſam; ſeu Scripturam ſacram, aut Nicænum Symbolum immutant. Quamobrem cum Eccleſia Latina inſerendo Symbolo hæc verba, *Filioque*, nihil contra Scripturam ſacram, nihil contra Nicænum Symbolum, nihil contra Synodorum Definitiones cæterarum, nihil contra veritatem addiderit, ipſi vitio verti non debet hujusmodi additio. Hanc additionem contra Græcos egregie tuitus eſt *Ratramnus* Corbejenſis Monachus, *lib. II contra Græcorum oppoſita*, cap. II. „ Nicæna, *inquit*, Synodus trecentorum decem & octo Epiſcoporum, poſtquam de conſubſtantialitate Filii cum Patre Symbolum dictavit, ubi ventum eſt ad Spiritum, ſic ait: *Cre-*

„ *dimus in Spiritum sanctum:* Nihil vel majus, vel mi-
„ nus super ejus vel substantia, vel Processione decer-
„ nens. Ubi ergo nunc Regula, qua vos muniri, vel
„ Latinos arbitramini constringi, ut vobis liceat dicere
„ procedentem a Patre Spiritum sanctum, Romanis
„ non liceat dicere procedentem a Filio? Quod si se-
„ quentes auctoritatem Nicæni Concilii nihil ultra vul-
„ tis addere, removete *Procedentem a Patre*, quia non
„ continetur in Nicæni Concilii Symbolo. Et fortassis
„ liceat removeri, quod a Romanis superadditum est
„ *Procedentem a Filio.* Quod si respondentes dixeri-
„ tis, in Constantinopolitana Synodo a centum quin-
„ quaginta Episcopis, qui Constantinopoli congregati
„ sunt, hoc positum esse, respondemus, Non licuisse
„ quidquam Nicæni Concilii symbolo de fide vel deme-
„ re, vel addere, vel immutare. Quod si dicatis de
„ Filii consubstantialitate non licuisse, quod determina-
„ tum est in illo Conventu quidquam superaddi, de
„ Spiritu sancto vero, quia perparum hinc dictum est,
„ licuisse propter futuras hæreticorum quæstiones se-
„ cundum sanctarum auctoritatem Scripturarum: Re-
„ spondemus, Hoc idem licuisse Romanis propter futu-
„ ras hæreticorum quæstiones secundum divinarum au-
„ ctoritatem Scripturarum. Nec enim convincere po-
„ testis, majorem Constantinopolitanæ civitatis auctori-
„ tatem, quam civitatis Romanæ, quæ Caput est o-
„ mnium Christi Ecclesiarum, quod Majorum tam vestro-
„ rum, quam nostrorum testimonio comprobatur. Sed
„ neque centum quinquaginta Episcoporum tanta con-
„ stat auctoritas, ut universis totius orbis Episcopis præ-
„ scribere possit, ut, quod illis licuit, non liceat tam
„ Romano Pontifici, quam universis Christi Ecclesiis.
„ Addiderunt etiam illi Symbolo præfato, dicentes:
„ Spiritum sanctum cum Patre, & Filio adorandum,
„ & conglorificandum, qui locutus est per Sanctos
„ Prophetas: „ *& alia plura. Hæc superadjicientes, non præscripserunt Ecclesiis Christi, sed exemplum dederunt, si quid secundum Srcripturas sanctas superaddere vellent*

de

*de Spiritu ſancto, quod hæreticos expugnaret, & fidem credentium roboraret. Quod, ſi malitis opponere, quod inveniri non poſſit in ſanctis Evangeliis, ſive cæteris divinis Paginis ſcriptum, Spiritum ſanctum procedentem a Filio, ſed tantummodo procedentem a Patre, ac propterea nolle vos recipere, quod in ſcripturis ſanctis ſcriptum non reperitur: quemadmodum Ariani nolebant recipere unius ejusdemque ſubſtantiæ Patrem, & Filium, quoniam Scripturæ ſacræ non hoc continebant; Dicite, ubi legeritis, quod Conſtantinopolitanum Concilium in Symbolo poſuit de Spiritu ſancto, dicens, Eum cum Patre, & Filio ſimul adorandum, & conglorificandum, & Qui locucutus eſt per ſanctos Prophetas? Quod, ſi dicatis, in Scripturis ſanctis non nudis verbis iſta reperiri: ſed virtutem intelligentiæ in eis contineri, ut quomodo eſt unius cum Patre, Filioque ſubſtantiæ, unius potentiæ, non diſſimilis majeſtatis, & propterea cum Patre, Filioque ſimul adorandus & conglorificandus; eadem concedite Latinis Eccleſiis, ut licet nudis verbis Evangelia non dicant de Filio procedere Spiritum ſanctum, multis tamen modis oſtendunt Spiritum eſſe Filii, ſicut eſt Spiritus Patris, & a Filio procedere, ſicut procedit a Patre. Iſta cum ſe ſic habeant, & de Spiritu ſancto Fides Catholica per Salvatorem, & Apoſtolos fundata ſemper tenuit, nec prædicare omiſit, quod ejusdem ſit cum Patre, Filioque virtutis, & ejusdem ſubſtantiæ, procedatque de utroque: Quid eſt nunc, quod Catholicam Fidem reprehendere nitimini: & contra Catholica dogmata neſcio, quid moliri conamini? Fortaſſis vel Arium, vel Macedonium reſuſcitare tentatis, & eorum pravi dogmatis cineres olim ſopitos in Eccleſiam introducere. Nunquid Majores veſtri neſcierunt, quemadmodum de Spiritu ſancto Romana ferebat Eccleſia? Nec tamen aliquando a Romanæ Sedis communione ſeſe removere, ſcientes Catholicæ Fidei veritatem fore, quod tenet, & prædicat, nec merito reprehenſioni patere, quod ſanctarum Scripturarum auctoritate conſiſtit.*

*Usque*

*Usque ad Arii tempus nulla confusio vexabat credentes de Patris, Filiique consubstantialitate, nec Homousion prædicabatur. Virtus tamen illius verbi credentium mentibus insita consistebat, quoniam omnipotentem Filium in nullo dissimilem Patri fore credebat, benedictum Salvatoris recolens dicentis;* qui videt me, videt & Patrem. *Neque Christum aliud, quam creaturarum auctorem omnium, sciens ex Joanne dictum,* Omnia per ipsum facta fuisse: „ Nec tamen in symbolo Apostolorum „ collatione facto, continebatur aliud, quam quod „ novimus omnes; Credere nos opportere in Deum „ Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum Filium „ ejus unicum Dominum nostrum. Sufficiebat ista fi- „ des credentium saluti, quæ multorum sanguine Mar- „ tyrum, & innumerabilium ore Confessorum per uni- „ versum orbem & approbata est, & commendata. Ve- „ rum ubi Arius impugnator veritatis cæpit in Chri- „ sti divinitatem insanire, & blasphema non pauca ja- „ culari, Fidelium mentes ad pietatem incitantur, & „ veritatis arma contra impietatis errorem proferunt, „ confodiunt una cum Auctore impium dogma, quod „ Filium Dei creaturam, & non de Patre genitum; „ Spiritum quoque sanctum minorem Filio blasphema- „ bat. Post quem Macedonius surrexit, de Patre „ Filioque cum Catholicis similia sentiens, Spiritus vero „ sancti personam non recipiens. Adversus istum Ca- „ tholici decertantes Episcopi, Spiritum sanctum pro- „ baverunt, unum esse in sancta Trinitate consub- „ stantialem tam Patri, quam Filio, & de Patre proce- „ dentem, coadorandum, & conglorificandum Patri, „ Filioque. Dein Ariana repullulante vesania, volen- „ teque confirmare, non esse rectæ fidei Spiritum san- „ ctum dicere, de Patre procedere, hoc quia videre- „ tur esse blasphemum, quoniam duorum profiteretur „ Pater esse, id est Filii, seu Spiritus sancti. Hanc „ quoque blasphemiam propellendam decernentes Ec- „ clesiæ Doctores superaddidere Symbolo, Spiritum san- „ ctum de Filio quoque procedere. Ne si de Patre tantum

pro-

„ procedens diceretur, putaretur Filius, nec diceretur „ Spiritus Filii, quod eſt impium, & blaſphemum, „ & adverſus Evangelicam, Apoſtolicamque doctri„ nam veniens. Nam, ſi velitis dicere, quod pro„ cedere, verbum ſatis diſtinguat, ne Spiritus ſan„ ctus putetur eſſe Filius: ſcitote, quod etiam de „ Filio prædicetur: dixit enim ipſe in Evangelio „ Joannis: *Ego ex Deo proceſſi, & veni.* Si ergo ex „ Deo Patre procedit Filius, procedit Spiritus ſan„ ctus, quid erit, quod Arianis ſilentium im„ ponat, ne Spiritum ſanctum Patris eſſe Filium „ blaſphement? Hanc igitur intuentes cauſam Docto„ res tam Latinorum, quam Græcorum dixerunt Fi„ lium quidem ex Patre tantum genitum, Spiritum „ vero ſanctum de Patre, Filioque procedentem, „ quomodo Divinarum edocti magiſterio Litterarum „ intellexerunt tam Patris, quam Filii Spiritum eſ„ ſe, ac propterea de utroque procedere.

*Hugo Etherianus* lib. III. *De Hæreſibus, quas Græci in Latinos devolvunt*, cap. XVI. de eadem additione ita differit: *Si Conſtantinopolitana Synodus Nicæno adjecit Symbolo:* In Spiritum Dominum, & vivificantem, & ex Patre procedentem; *Si Chalcedonenſis Synodus quoque Conſtantinopolitanæ addidit Synodo:* „ Perfectum in humanitate, perfectum in divinitate, „ conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, con„ ſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem: *Nulla inſimulatione, nulla reprehenſione, nullaque calumnia notandus eſt antiquioris Romæ Antiſtes, quod cauſa interpretationis dictionem unam (dico autem*, Ex Filio procedere Spiritum) *Sanctorum plurium Epiſcoporum, & ſcientiſſimorum Cardinalium conſenſu habito appoſuerit. Licuit enim ei, ſemperque licebit fratres confirmare, Decreta edere, cudere interpretationes, ſi ubi aliquid obſcure ſcriptum ſit, & de voluntate Scriptoris argumentari, indicio voluntatis illius relicto facere hoc perſuadente. Is enim eſt, cui oves, & agni commiſſi*

 *ſunt,*

*sunt*, & *idcirco non solum Scripti recitator esse debet, verum interpres illorum, quæ adscripta non sunt, ut caput Ovium, Dei Pastor*, &c. Tum nonnullis de Romani Pontificis primatu magnifice dictis, hæc subdit: *Verum Christus æqualem Petro consortem nullum associavit. Qua in re manifestum, antiquioris Romæ Præsulem potestatem a Petro accepisse fidem renovandi, ut verbis Patrum utar, habendi curam, & regnum omnium Sacerdotum; quin etiam omnium Christianorum. Ergo, qui resistunt Primæ Sedis totius orbis Præsuli, Christi dispositioni resistunt, & nisi resipiscant, contumaciæ judicio plectentur. Propterea illud Evangelicum*: Qui a Patre procedit: & *salutare Symbolum, ut Chalcedonis Synodus Constantinopolitanum, & ea Nicænam interpretata est, nullo modo Tertiæ Synodi Decreto contradicens, cujus tenor, & institutio talis est*: Constituit sacra, & universalis Synodus aliam Fidem non licere alicui conscribere, aut componere, aut sapere, aut docere aliter, &c. *Quod si propter interpretationem præfati Capituli enuntiantem ex Filio vere Spiritum procedere, cum omni cautela sub Ss. Patrum Athanasii, & Basilii, Gregorii, Augustini, Ambrosii, Hilarii, aliorumque plurium testimonio, aliam Fidem conscripsisse, aut docuisse Apostolicæ Ecclesiæ credenda est: Simili ratione congregati Ss. Patres Constantinopoli aliud a Nicæno Symbolum ediderunt, & Chalcedonem convenientes, aliam Fidem ab ea, quam Constantinopoli Ss. Patres produxere. Quare palam, ut puto, fit ex his, nequaquam licere cuipiam omnium calumniari sanctissimam, & magnam, omniumque Principem Romanam Ecclesiam, quasi aliam fidem conscripserit, aut composuerit, aut docuerit. Nam neque affert, neque perdocet, neque aliud tradit Symbolum, si editum a Ss. Patribus interpretatur, non perpetiens fidem labefactari, apud quos semper effulsit. Quæ licet Primatum habeat, attamen humiliat seipsam, respondendo, quod Chalcedone celebrata Synodus quondam se calumniantibus respondit. Injuste, inquit, arguor, dum non Fidem, sed memoriam renovo; non apposui* non

*Christus æqualem Petro consortem nullum associavit. Qui resistunt Romano Pontifici Christi dispositioni resistunt.*

*Ecclesia Romana, licet primatum habeat, humiliat se ipsam.*

non ademi salutari Symbolo, si dictionem occultam manifestavi. Renovavi enim, ut Patres antedicti Fidem, & apposui Nicænæ Constantinopolitanæ, atque Chalcedonensi Synodis, sed nullo modo illis contraria: quia dum illorum Patrum vestigia persequor, solummodo, quæ tunc quæsita non sunt, tempore post per interpretationem, & appositionem verbi, quod non perspicue ab omnibus intelligebatur, enucleavi.

Cap. XVII. *Æquum igitur est, ratum habere quod tanta Ecclesia decernit; quod tantus Pontifex enuntiat; sine quo viror calami omnis Ecclesiasticæ Traditionis arescit, ut memorandus inter sanctos B. Junior Stephanus asserit, qui non modo apud Deum magnus, verum apud omnem Græcam multitudinem Apostolicæ prædicatur sanctitatis. Hic magnus Vir cuidam Synodo subscribere invitatus, bujusmodi voces cum fiducia extulit:* Quomodo, qui sanctuaria profanastis, sanctam constituistis Synodum. O nefas! Quomodo utique universalis vocetur Synodus, in qua Romanus Pontifex non complacuit, præter quem impossibile prorsus Canonica stabiliri. *Ei ergo vertices montium, & omnium turba Fidelium genua flectere debet, & pro bellicis increpationibus jugum complecti subjectionis. Namque Petri Coryphei, & Successoris ejus gentium principatus & regna gubernaculo subduntur. Hujus Ecclesia de se splendorem emittit semper, & non tenebrescit: a qua exit lex, & judicium, ad quam homines undique terrarum conveniunt, & merito, &c.*

*Sine Romano Pontifice impossibile prorsus est Canonica stabiliri.*

*Romana Ecclesia de se splendorem emittit semper & non tenebrescit.*

*Manuel Calecas lib.* 4. *contra Græcos*, de eodem argumento sic disserit; *Nam, & qui additionem interdixere, adjectionem Fidei, corruptaque dogmata conscribere probibuerunt. Nam in Ephesina Synodo* „ Lecto, *inquit*, Nicæni Concilii symbolo communiter „ decernunt, jam nemini licere Fidem aliam conscri„ bere, aut proferre, aut tradere his, qui ex Ju„ dæis, vel gentibus, seu ex alia quavis hæresi ad „ Ecclesiam veniunt . . . *Fidem aliam dixerunt. . . Non igitur communem fidem declarare interdictum est,*

*sed vel aliam, vel contrariam inducere, ut ipsæ quoque litteræ testantur; sive quibuslibet hominibus interdictum est, ne quisque horum passim proprium sibi symbolum conscribens, & aliquos a communi confessione separans, cum hoc deceptos baptizet, fiantque Conventicula cujusmodi tunc plurima fiebant. Porro ipsa Ecclesia sibi ipsi docendi, atque aliis dictandi, quæ vera sint, & salubria, licentiam, potestatemque non abstulit. Non enim postmodum novis in dies blasphemiis exorientibus, in fidei Terminis adjiceret, quæ pios, impiosque discernerent. Aut enim necessarium est confiteri omnia tunc confessioni fidei plenissime adjecta, & ad futuras novitates vocum sufficere arcendas; & posthac futuris Conciliis minime licere de fide statuere, aut Ecclesiam initio quidem potuisse de dogmatibus statuere, & alia quidem addere, alia auferre, postmodum vero hanc amisisse potestatem. At primum quidem illud verum non esse, post hæc Acta Concilia testantur, quæ profecto nunquam convenissent, si prima illa scandalis futuris satis obviassent. Dei enim est futura prænoscere. Singula vero Concilia ad præsens periculum intenta, contra Hæreticos pugnant, non futurum propellunt. Hoc enim incertum est. Ex quibus & illud constat, postea Concilia utiliter, & necessario fuisse conflata, quoties necessitas urgeret. Nempe enim eandem vim Ecclesiæ non semper, ac similiter adesse existimare Mysteria fidei tollentium est, maxime cum Salvator dixerit, se cum illa usque ad consummationem sæculi futurum. Si igitur primis sufficienter habentibus ad occurrendum periculis omnibus futuris, nulla postea necessitas fuisset Concilia cogendi: eandem sic quoque potestatem temporibus omnibus Ecclesiam habere, putandum est, aliterque hac libertate sublata, non parva detrimenta, sed summam perniciem sequi necessario, nisi liceret Ecclesiæ de fide statuere, scribere, atque definire.*

*Id est Definitionibus.*

**Ex** quibus perspicuum est. *Non adjectionem dictionis, sed alterius fidei conscriptionem interdici: Ecclesiam*

siamque non sibi ipsi, sed hominibus singulis de fide statuendi ademisse potestatem. Neque enim in Fidei Terminis deinceps a sacris Conciliis quomodolibet fuisset adjectum, si ea se potestate privasset. Aliter enim, qui ista dicunt eos etiam, qui in Nicæno Concilio convenerunt, anathemati subjicerent, qui non pauca Apostolorum Symbolo addiderunt, & eos, qui postmodum Constantinopoli convenientes, & ipsi Nicæno Symbolo adjecisse comprobantur quædam, quædam etiam abstulisse, nemine insimulante, quia sic visum est. Nempe & reliqua deinceps Concilia adjecisse aliqua, vel immutasse, quis nesciat, cum hæ, vel illæ necessitates, casusque requirerent? Porro Conciliorum de fide sanctiones æque, ac Symbolum suscipimus, quæ in ipso complexæ continentur. Sed &, cum B. Paulus dicat: Etiamsi Angelus evangelizaverit, præter id, quod evangelizavimus vobis, anathema sit: Consubstantiale tamen Patres adjecerunt: Cum nemo tamen ante illos hanc dictionem tradiderit. Idcirco etiam a contradicentibus hanc non inveniri in sacris libris arguebantur. Addiderunt tamen litteræ sensum conferentes, & contra adversarios constanter dimicantes, juxta Theologum Gregorium, qui ait: „ Non de verbis, & „ nominibus pugnamus, dummodo syllabæ ad eandem „ intelligentiam ferant. „ Et certe non propter eandem adjectionem Pauli subjiciuntur anathemati. Prorsus vero Synodus omnis pro reprehensione blasphemorum congregata, Fidei Terminum exponit, per id, quod veteribus dictiones adduntur, nova dogmata resecans. Ita enim se res habet. Siquidem esset possibile, sine aliqua contradictione eorum, qui communem fidem oppugnare volunt, manere Ecclesiam in antiquis principiis, immotam, nulla fuisset necessitas aliquid quomodolibet adjicere; sed suffecisset ad confessionem fidei compositum a Ss. Apostolis ab initio Symbolum breve simul, ac simplex. Quoniam vero primus Arius Dei Filium Patris essentia detrudere præsumpsit, quod in Apostolorum Symbolo scriptum aperte non fuerat, Filium ejusdem essentiæ cum Patre esse; cum hujusmodi venenum per corpus Eccle-

*siæ serperet, eaque pestis effunderetur in plures; qui in Nicæa convenere Patres, veritatis, ac Fidelium curam habentes, Symbolo alio composito, & consubstantiale addiderunt, atque ante omnia sæcula Filium ex Patre genitum, non factum, & ex Deo vero Deum esse verum, & quæ tunc adjecerunt cum Apostolo, natum solummodo ex Patre dixissent.*

„ Erant ista sic, videbaturque tunc abunde munita „ fides, cum parvo post tempore contra Spiritus san„ cti divinitatem se erexit impietas . . . Convenerunt „ Constantinopoli Patres, & illud, quod nunc legitur „ Symbolum composuerunt. Cumque Nicæni Concilii „ Patres solum, *Et in Spiritum sanctum*, credere dixis„ sent, nihilque adjecissent amplius; isti, quæ plura „ sunt addita, apposuerunt de Spiritus sancti domina„ tione, & deitate. In Chalcedonensi quoque Conci„ lio congregati, pro his veluti rationem reddentes, „ hos neque adjecisse ajunt Fidei Nicænorum Patrum, „ quasi novum quidpiam, & varium dicentes; neque „ quod ab illis fuerat relictum, hoc implevisse, sed „ illorum de Spiritu sancto intelligentiam, contra eos „ qui illius dominationem auferre nitebantur, Scriptu„ ræ testimoniis fecisse planiorem. Videmus autem „ & ipsos, qui illic convenerunt, Symbolo Nicæno addi„ disse. Nam cum illi Patri Filium Consubstantialem „ tantummodo dixerint, isti addiderunt: *Consubstantia„ lem Patri secundum Deitatem, consubstantialem nobis „ secundum humanitatem;* Eutychetis in hoc opi„ nionem corrigentes. Et qui Ephesi primum convene„ runt, Fidei Terminum exposuerunt, quo Dei Ge„ nitrix B. Virgo prædicatur. Virgo enim solummodo „ Beata in Symbolo appellata fuerat. Etsi enim Sym„ bolo id adjectum non est, nihilominus Definitionem „ illam veneramur, hujusmodi vocabulum, illiusque „ sensum ut rectissime positum suscipientes, atque con„ fitentes . . Ex his perspicue constat, eos, qui au„ ferre aliquid, vel addere prohibuerunt, non adjectio-

„ nem

„ nem dictionis; sed Fidei alterius editionem ve-
„ tuisse, alioqui nullum esset Concilium a crimi-
„ ne immune.

Multa deinde subdit *Manuel Calecas* de tempore, & occasione illius additionis, in quibus aliorum potius opiniones refert quam propriam statuat. *Joannem Scylacem* Byzantinum Historicum laudat. In eam propendet sententiam, quæ vocem illam, *Filioque*, additam Symbolo vult ad eorum errorem refellendum, qui Filii Dei majestatem imminuentes, a solo Patre Spiritum sanctum prodire propugnabant, & ad Nicæni Concilii Symbolum quidquam addendum esse negabant. Cæterum hanc additionem schismatis occasionem fuisse negat, cum tempore *S. Maximi*, & Sextæ Synodi Oecumenicæ jam tactam, colligatur ex Epistola illius ad Marinum. „ Propterea, *inquit*, rebus ur-
„ gentibus, cum quosdam Occidentalis Ecclesiæ hæc
„ pestis paulatim, ac sensim inficeret, conveniens Sy-
„ nodus, ex Filio etiam Spiritum procedere, Symbo-
„ lo adjecit: ad quod Romani Pontificis suffecisset au-
„ thoritas, quæ etiam Synodos reliquas roborat. Ne-
„ que sane mirandum est, Romanum Episcopum, Ec-
„ clesiæ Principem, convocato Occidentalium Episco-
„ porum Concilio illud decrevisse. Nam si Provinciæ
„ sæpe singulæ Concilia celebraverunt, eisque aucto-
„ ritas derogata non est: multo sane magis hoc ille
„ potuit cum omnibus circum se Episcopis, qui Pastor
„ Primus, & Ecclesiæ totius Pater, universalisque Chri-
„ stianorum omnium Judex esse comprobatur. „ Etsi vero Synodus illa totius Occidentis celebrata non fuerit, quam *Calecas* noster commemorat, hæc tamen additio jure fieri potuit a Romano Pontifice, conspirantibus maxime cæteris Occidentis Ecclesiis, quarum nonnullæ etiam multo ante verba illa, *Filioque*, Symbolo inseruerant, ut Hispaniensis, & Gallicana.

*Ad Particulam, Filioque addendam Symbolo, suffecisset Romani Pontificis auctoritas*

Quærit

Quærit postea *Manuel Calecas*, quid causæ sit, quod ista additio, cum antiqua, Symbolo ab Orientalibus inserta non fuerit? Respondet, *Quod debita subjectione, ac reverentia Romano Pontifici, ejusque Ecclesiæ, secundum Ecclesiasticas Regulas reddita, nihil ex hoc in fide vel differre, vel contra sentire putabantur, quod etiam vere sic erat. Deinde necesse non fuit, rectam, & congruam de Filio, & sancto Spiritu intelligentiam habentes, cum additione Symbolum legere. Satis enim erat etiam sine ista legendo, non esse contrariæ opinionis neque putare eos, qui cum ista legerent, fidei veritate excidisse, illisque unitos esse. Nam & post antiquum schisma cum rursus utriusque Ecclesiæ facta esset unio, Græcos Latini non coegerunt Symbolum cum additione legere, vel aliis Ecclesiasticis ritibus more suo uti; sed tria solum ab eis post factam unionem requisita sunt: Primum quidem, ut Romani Episcopi memoriam in Diptychis, hoc est, in Canone Missæ facerent. Secundum, ut universalem Judicem Christianorum omnium putarent, ei secundum antiquam Ecclesiæ consuetudinem reverentiam reddentes. Tertium, ut Romanam Ecclesiam in Ecclesiasticis dogmatibus Matrem Fidelium, atque Magistram sana semper fide esse crederent. Cætera locis suis manere permissa sunt. Sed nunc quoque in Sicilia, & ea, quæ magna, & antiqua Græcia dudum vocabatur, cum Græci plurimi inhabitent, Orientalisque Ecclesiæ moribus, & ritibus utantur: quia solum Romanæ Ecclesiæ subditi sunt, non coguntur Symbolum cum additione legere.*

Postea *Calecas* ostendit eam additionem fuisse ab Ecclesia Græca in Concilio Lugdunensi sub *Gregorio* X. approbatam. *Communis*, inquit, *Synodus, sive nostris ad obedientiam priorem remeantibus, sive de hujusmodi additione doceri cupientibus, sive per seipsos veritatem agnoscentibus, Lugduni congregata est, & aperte ante plures annos consummata. Ubi aderat quidem Romanus Pontifex per seipsum, illius convocationis auctor,*

atque

*atque cum eo quadringenti ferme Episcopi. Aderant autem & Constantinopolitanæ Ecclesiæ Legati, qui illorum implerent locum. Tunc igitur, ut patet ex illis scriptis commentariis, communiter ab omnibus est declaratum, Antiquissimam Ecclesiæ traditionem esse, & ad sanctæ Trinitatis saluberrimam, & veram fidem summe necessariam, Græcorum, Latinorumque Doctorum æqualiter dogmate, & doctrina roboratam, Spiritum sanctum ex Patre, & Filio similiter velut ex uno principio procedere. Damnant autem, & anathematizant, qui tunc convenere omnes, qui deinceps duo principia conarentur introducere . . . Nusquam vero illic quispiam additioni indignari, sed vera omnia, & voces, & actiones, quæ Lugduni tunc gesta sunt; & qui ex nostris adfuerunt Concilio, Legatique, & Episcopi confessi, fœderati redierunt, agentes Deo gratias cum omnibus pro communi fidei concordia, qua in prædictis tribus Capitulis simul consenserunt. Cumque animis conjuncti essent, coacti non sunt Symbolum cum additione legere; sed sicut temporibus B. Maximi, sic tunc se habebant res.*

Ex his liquet, Florentinam Synodum in Definitione Fidei merito additionem illius vocis *Filioque* ad Symbolum approbasse his verbis: *Definimus insuper explicationem verborum illorum,* Filioque, *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate licite, ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.* Legatur *Josephi* Methonensis Episcopi Responsio ad libellum *Marci Ephesii* contra Florentinam Synodum, & *Gregorii* Protosyncelli, & Patriarchæ Apologia pro eadem Synodo.

